Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

53, – 42.

DA Box

= L N 668 ex. 1

M

BIBLIOTH. REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

C. ERASMI MI-
CHAELII LAETI,

DE

RE NAVTICA

Libri IIII.

AD

Illuſtriſsimam atq; Ampliſs. Inclytæ
& fortiſsimæ gentis Venetæ
REMPVBLICAM.



BASILEAE,
M D LXXIII.

Conrado Weiss, Erasmus Lætus
ded
V octob: Anno 1573.
FRANCFVRTI

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ALOYSIO MOCENICO, DVCI:

NOBILISSIMO AC SAPIENTISSIMO SENATVI:

Ampliſsimis authoritate Patribus, totique Inclytæ gentis Venetæ

REIPVBLICAE

S. P. D.

VRBIS veſtræ inicia, Illuſtriſſime Princeps: Senatus Nobiliſſime, Patresq́; dignitate Ampliſſimi ac Inclyta fortiſſimorum Venetum Reſpublica: multi quidẽ hactenus & monumentis Ingenij doctiſſimis explicauerunt: & formã progreſſusq́; atq; incrementa Ciuitatis maxima, pari ſtudio ſolertiaq́; ac dicendi vbertate amplectentes immortalem quandam rei maximæ narrationem tranſmiſerunt ad poſteritatem. Etſi autem Hiſtoriæ vniuerſæ inſit plurima ad Virtutem ratio: fortunæq́; exempla in vtramq; partẽ extent omnino plurima: nihil tamen admiratione dignius exiſtimauerim Prudentia, qua rem ini-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

tio profectò tenuem, ad tanti luminis faſtigium tantamq́ amplitudinem incrementis ſeſe conti-nuò promouentibus perduci ſanè ac conſtabili ri contigit. In eo primas ſibi vendicauerit diui-næ prouidētię Conſideratio: qua id omnino pu tes effici: vt & quæ commodè vtiliterq́ exordiri debeas cōſtiterint, extemploq́ aperiantur co-gitationi: & quæ fœliciter incrementa capiant, externo liberata vindicataq́ calamitatis metu: recta equidem via, rectoq́ prorſus curſu ad for-tunæ deſtinatæ culmen nominisq́ honeſti clari tudinē, ſine perplexitate aſpirent ac progredian tur. Ea verò etſi in omnibus quæ voluntati Dei congruūt, plana ſit & manifeſta ratio: in Rerum tamen publicarum cōſtitutionibus potiſſimum conſpicitur: in quibus nō ea tantum quę huma-næ cogitationis argumenta ſunt primam quan-dam in ſe transferunt mouentq́ admirationem: verùm ipſa etiam pręſentiæ Dei vberrima decla ratio non rei tantum nouæ exiſtimationem au-thoritatemq́ conciliauerit: ſed aduerſos malorū impetus & fiduciam improborum vel eludēdo cohibet, vel ſubuertendo impedit vel cōfringen do aut prorſus abolet, aut actionum diuerſita-te obruit et retardat. Huius aūt & conſilij et ope rationis Dei cauſam nō eſſe prorſus nullam, ſed & maximam profectò & cumprimis etiam com memorandam. Cùm enim ordinis ac diſciplinæ

retinendę

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

retinēdæ cauſa Deus vrbes ac honeſtas Rerum publicarū formas in humano genere confirmet: ſitq́ꝫ ſummus Ciuitatum vſus, pietatis conſeruatio & virtutum decus: odio autem huius ſtudij flagrare Sathanam, ſurſumq́ꝫ omnia ac deorſum miſcere certum ſit: quis ſibi dubitandum eſſe ſtatuat, authore ac patrono Deo & cōdi vrbes: & honeſtos ſuſtentari populorum cœtus: in quibus pietatis exercitia & virtutum vſus teſtimonia ſint ampliſsima de Deo deq́ꝫ voluntate Dei approbantis hanc cōſenſionem hominum: qui ſe honeſtis vitæ legibus, vt grata Deo faciant, in vnam hanc ciuilem rationalemq́ꝫ frequentiam, ſocietatis conſiliorumq́ꝫ & fortunarum communicationem copulant & coniungunt: illorū autem mores vitæq́ꝫ inſtituta imitati alij, pari profectò & ad virtutem ciuilitatemq́ꝫ opinione excitentur, et actionis rectitudine ad dulcem quendam officiorum ac honeſtæ conſuetudinis amorem culti permotiq́ꝫ fœliciter impellantur. Hic enim vberrimus eſt ſocietatis ciuilis fructus: ſi & ipſe optimè poſſideas habeasq́ꝫ, & alijs vel cōſilio proſis vel præſidio commodes, vt & ipſi q̄ꝫ rectiſſimè poſſideant habeantq́ꝫ: & rebus partis ſine contentionum acerbitate honeſto quodam ac placido virtutis vſu omnino perfruantur. Interea ſuſtētari diuinitus Reſpublicas: easq́ꝫ quatenus perdurant, nō niſi Deo protegente defen-

ſantéq; permanere. ei adſcribendum eſſe ſi quid quod rectum ſalutareq; ſit, aut tempeſtiuè intelligatur in imperijs, aut celeriter peficiatur inter ſubditos, aut iudicio deniq; ac publica multorū vtilitate ſine fraude perplexitatibusq; à gubernatoribus adminiſtretur. Poſtremò ita demum ruinas mutationesq; ingruere atq; imminere regnis: ſi vel negligatur pietas, vel virtutum ſtudia contaminẽtur: vel ſoluatur diſciplinæ ratio, vel æmulationis peſtis in ſocietatem admittat̃, vel actionum norma non leges patriæ, ſed cupiditatis ardor & priuatę cuiuſq; vtilitates conſtituãtur. Deniq; ſi proprijs viribus ſubnixi, propria quadã ſapientia intumeſcentes Deum contumelia afficiamus: cum non tantum de nobis ipſi quidem opinari nos: ſed & alios exiſtimare volumus, vel nolente Deo noſtris id arbitrijs noſtraque voluntate poſſe perfici: quodcunque tandem ita nobis animo eſt conſtitutum: vt cum factum ſit, vulgi etiam applauſu noſtris certè viribus noſtriſque adeò conſilijs ac prudente rerum deliberatione perfectum id & geſtum eſſe perhibeatur. Ita duplici omninò via, humana hac præſumptione & incogitantia delinquitur: altera quidẽ, fœlicitatis perſuaſione: altera verò, confidentia virium: in quarũ vtraq; ſumma profectò ineſt ad periculorum magnitudinem occaſio. Et tamen eius etiã inſaniæ

ſaniæ comperta ſunt exempla plurima, quæ ex hiſtorijs excerpta vtiliter cõſiderari poſſe duco. Quanta quæſo eſt Aiacis confidentia? de alijs enim nihil dicam impræſentiarum: Quẽ profecturum ad Troianum bellũ cum Telamon admonuiſſet hiſce vſus verbis, Fili ad magnum quidem & difficile bellum proficiſceris. Deo itaq; auxiliãte ſemper velis vincere. Nónne ſuadenti ille ita locutus reſpondebat. Pater, Deo auxiliante: etiam ignaui poſſunt vincere. Ego autem confido me vel inuitis Dijs hanc victoriæ gloriam obtenturum eſſe. Tales ſunt humanæ ſapientiæ præſumptiones, præſertim ſi accedat de viribus & audacia perſuaſio: quam vel vulgi plauſus, vel geſtorum magnitudo, vel ipſa deniq; virtutis conſcientia conſtabilire extollereq; poſſe videatur. ſed intueatur iuuẽtus in multorum exitus: prorſusq; comperiet ſingulari quadam calamitate affectos eſſe: qua non illi tantum, quanquam ſerius fortaſſe, ſaperent: Sed & alij eorum docti caſu, de ſe profectò moderatius humaniusq; cenſendũ ſibi eſſe exiſtimarẽt. Rei igitur totius hanc eſſe ſummam dixerim: Ita demum regnis rerumq́; publicarũ dignitatibus ac fortunæ conſuli: ſi & publicæ vtilitatis cauſa geri Imperiũ exiſtimẽt: & Deo ſibi opus eſſe ducant ad eã quã pro Regnorũ Reiq́; publicæ vtilitate ſuſtinẽt moleſtiã, ſollicitudinẽ & delibera-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

tionē. Cum aūt tot iā ſeculis florere Inclytā hāc veſtram, Proceres Ampliſsimi, Rempublicam: nec florere tantū, comprehēſam mœnijs & anguſto quodam loci, ceu murorum circūductionibus incinctam ſpacio: ſed perductā ſanè longius ingēti prorſus dominationis ambitu ac lato ciuitatis iure cōfirmatam eſſe videam: idq́ꝫ ita, vt quamq́ꝫ vel externas ſępè difficultates: vel internos vicinorum motus ſenſerit: nuſquā tamen aut ceſsiſſe eam tot fortunæ ſæuientis fluctibus: aut Barbarorum iniurijs perturbatam laceſsitamq́ꝫ: internā quandam admiſiſſe corporis pulcherrimi diſſenſionē: ſed conſilijs & ſemper valuiſſe maximis: & concordi animorū vſu: fortiq́ꝫ ac ſapiente bellorum cura victis pacatisu'e hoſtibus ita demum eluctatā eſſe: vt non veterem tantum dignitatē authoritatemq́ꝫ tueri ac retinere etiam potuerit: ſed & nouam quandam ſubinde claritudinem ex rerum geſtarum fama & conſiliorū rectitudine adepta ſit. Equidem huiuſmodi illum vrbis veſtræ ſtatum ad orationis meæ caput, expendendū admenſurandumq́ꝫ eſſe cenſui: manifeſto ſanè eius, quam initio cōplexus ſum ſententiæ atq́ꝫ aſſeuerationis argumēto: ita hanc vobis deniq́ꝫ ſeruatam excultamq́ꝫ & propagatam eſſe ciuitatis dignitatē: quòd & publicè communem ſanè vtilitatē omnibus: & priuata animorum religione quiſq́ꝫ eam, qua ſeſe Deo

approbare

approbare ſtuduit, & pietatis & virtutum ratio-
nẽ, ſine cõtẽtionib. atq; improbitatis cura ample
xi cõſectatiq; eſſe videamini. Hoc ſtudiũ et maio
res veſtros honore plurimo ſummaq; ſemper ad
miratione extuliſſe: & vos quoque, noſtris hiſce
qui tẽporibus authoritate præſidetis Republi-
cæ ampliſsima, efferre, ornareq; & cõmendare.
Itaq; minimè mirandum: ſi & quorundam odijs
ſæpè: & multis è diuerſo bonorum laudibus ex-
poſita ſit hæc ciuitatis veſtrę incolumitas. Nam
& inuident plerunq; hij, qui æmulari cupiunt: et
ſuum tamen eſt virtuti pretium: adeò vt cũ forti
ter præclareq; rem honeſtam facias: haud ita la-
tere eam Deus et fortuna ſinunt: quin aliquot
ſemper excitẽt: qui nõ mirari tantũ velint actio-
nis pulchritudinẽ: ſed & extollendã laudibus, et
publico ceu plauſu hãc virtutis dignitatẽ & iudi
cio cõplectendam & oratione prædicãdam ſibi
ac commendandam eſſe putent. Multos autem
ex varijs orbis partibus adduxit fama Reipubli
cæ, vt huc profecti Ciuitatis veſtræ ſtatũ digni-
tatemq; ampliſſimorum ciuium, ac ordinum im
perijq; gradus, cultum & venuſtam actionũ for
mam cominus aſpicerent: cum tantis illam lau-
dibus attolli prędicariq; ita demum quiſque iu-
re quodam duceret: ſi ipſe coram ſpectans, nihil
famæ amplitudini præſentem rerum ſtatum diſ
ſidere omninò comperiſſet. De alijs nihil hoc in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

loco dicam. Nam quod ad DOROTHEAM, Inclytã illã noſtræ Daniæ Reginam, & ſanctiſſimam omninò mulierem, attinet: equidem teſtis locuples eſt ipſe Bembus veſter, vir & dignitate auctus maxima, & doctrinarum ſtudijs laboribusq́ publicis ita cognitus: vt cum æterna viuat veſtrę Ciuitatis gloria, veriſſimam profectò habeat ex literarum monumentis laudẽ, & præclaris maiorum veſtrorum factis Reiq́ publicæ ſaluti atq́ incolumitati, huius quoque memoria cõiuncta ſit & copulata. Nec dubito multorum animis conſpectu humanitateque huius Reipublicæ excitatis, haud mediocrem ſanè ad res præclarè adminiſtrandas ordinandasq́ & occaſionem oblatam, & induſtriam iniectã eſſe: qui cum florentiſſimum conſideraſſent Ciuitatis veſtræ ſtatum, equidem ex eo ſibi quiſque ad imitandum ſumpſerit: quo maiorem vel rei domeſticæ rationem, vel publicam adminiſtrationis vtilitatem fulciri commendariq́ poſſe exiſtimaret. Illa res & mihi diu iam accendit animum: vt hãc Rempublicam aſpicerem. Etſi enim noſtro equidem conſilio minimè neceſſe ſit magnarum rerum curas ſuſcipi: pręclarum tamen quiddam arbitratus ſum eũ videre cõtemplariq́ hominũ fortiſſimorum cœtum & ſocietatem: in qua ea eſſet virtutum, actionis & conſiliorum forma: quæ quemq́ meritò inſtruere prouocareque

poſſet

poſſet ad imitationem: vt ſi aliqua omninò inter doctos doctrinæ ac literarum opinione præſtaremus: etiam illius nō ignoraremus ſtatum Reipublicæ: quæ & diu virtutis gloria atq; exiſtimatione floruiſſet: & eam tueretur in humano genere authoritatem: quæ & ſumma propter ſapiētiā: & fœlix propter rerū geſtarū magnitudinē haberi certè & commendari ſemper poſſit. Nā nec illud à doctrinę atque ingenij cultu alienum eſſe cenſeo, egregias aſpexiſſe ciuitatum formas, & ea quæ in illis præclara dignáq; conſideratione obſeruata ſunt, communibus vitæ inſtitutis & præceptorum vſui ceu vitam quandam & agendi normam tempeſtiuè ſolertérq; & concinnè poſſe accōmodare. Cū igitur impetrata mihi à clementiſſimo meo, & potētiſſimo Daniæ Rege, FRIDERICO II, venia in hanc ego profectionem animo totus & facultatibus incumberem: ne vacuus planè &, quod illi aiunt, ἀσύμβολος ad Reipublicę ampliſſimos viros & proceres accederē: hoc adornaui munus, quod nūc ego tibi, Princeps illuſtriſſime, Nobiliſſime Senatus, Patres authoritate & virtutibus Clariſſimi: & vniuerſa Inclytæ gentis Venetæ Reſpublica, offero: eo ſanè animo eáq; expectatione, vt id tibi gratum acceptúmq; futurum eſſe ſperem. Cui enim queſo hoc de re Nauali opus, quod placere prodeſſeq́ue multis cupio, honeſtius, rectius-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

quę & maiore è dignitate, quàm Inclytæ fortiſſimorum Venetorum Reipublicæ inſcriberetur: Cum ea nunc ſit eius rei eiuſq; ſtudij, ſemperq; adeò fuerit ita exculta pertractataq; Ciuitati ratio: vt cum in reliquis ſuo quodam Reipublicæ ac dignitatis fato ſuperet: in hoc ſanè omnibus ſeculis idq; inter omnes Europæ gentes & extructarum vſu, & fabricandarum ſolertia, et ipſa deniq; nauali diſciplina, quadamq; etiam actionum ac nauigationis ſolertia ac dexteritate, meritò antecellat. Ne quid bellorum, quæ hæc tibi interdũ ſtudia exacuerũt, neceſſitatẽ referam: à quibus etſi dãni etiã haud parũ ſubinde Vrbs experta ſit, id tamẽ interea eſt beneficij atq; acceſſionis conſecuta: vt cum gloria ob virtutem pręſtet: etiam vſu exercitationeq; hac militari, quæ maritimis in prælijs ac omni Nauigationis diligentia atq; aſſiduitate ſuſtinenda fuit, merito & diligentia, omninò pręedicari poſſe videatur. Id ego non aſſentationis vicio turpiſſimo in ea gẽtis Venetæ ampliſſima illuſtriq; Republica, tan quã virtutis ac pulcherrimi imperij theatro protulerim: ſed cum ita res è veritate conſtet: equidem quod verum eſſe ſentio, referre ingenueq; confiteri nõ pertimeſco. Etſi autem tenuius hoc iudicari poſſit opus: quàm quod ſummæ Reipublicæ conueniat: ſi tamen rei magnitudo, quæ vel explicata eſt, vel præuio hoc fortaſsè duce

obſer-

obſeruari comprehendiq́; poſſit ab aliĳs, conſi-
deretur: equidem ſpe ego ducor non prorſus ab
Ampliſſimi ordinis humanitate aliena, poſſe ſu-
um & hæc quoque reperire locum, quo inter
doctiſſima aliorum monumenta, vel vſu grata,
vel varietate iucunda vigeant & conſiſtant.
Scio hæc elegantius ab eruditis ciuitatis veſtræ
Ciuibus & animo concipi, & ordine diſponi, &
dicendi deniq; facultate perpoli explicariq́; po-
tuiſſe: vt qui media in luce actionum, & aſsidua
circa nauticas res cura operarumq́; laboribus
verſati, maiorem rerum omniũ noticiã habere:
& quo quodq; modo, ordineq́; ac diligẽtia fie-
ri expediriq́; oportuit, ſolertia profectò & eru-
ditis digna exploratione, cognoſcere prouide-
req́; omninò potuiſſent: Cum tamen hanc rẽ &
ego etiam fortaſſe non infœlicitate maxima atti
gerim: eq́; ea quam ſupra retuli occaſione, hoc
ſcriptum dedicarim Reipublicę: equidem ita mi
hi de doctiſsimorum hominum iudicĳs perſua-
deo: vt quæ agere perficereq́; illi potuiſſent opti
mè, ab aliĳs demonſtrata excultaq́ue mediocri-
ter, animo ſint & cenſuræ rectitudine haud etiã
inclemẽter approbaturi. Neq; enim vel primas
lineas duxiſſe, ſi cõcinnè tamen artificioſeq́; du-
cãtur, parum exiſtimandum eſt. Et cupio certè i-
pſum hoc vel ab aliĳs, ſi neceſſe ſit, exponi copio
ſius: vel ſi ipſi fortaſſe mihi videatur aliquid prę

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

terea debere adijci: comparata ex vſu ac peregri-
nationis huius ſtudio, noticia rerum, quę eò per
tineāt, vberiore: equidem id adiecturum me re-
cipio: vt quantum fieri demum poſsit, elegans
quædam & perfecta eius rei, artificij atq; exerci-
tationis ratio conſiſtat: inclytęq; veſtræ Reipu-
blicæ authoritate, iudicio ac comprobatione in
manus hominum doctorum longa quadam &
fœlici, ſi id fata velint, ſucceſsione perueniat ac
propagetur. Scripſerunt hac de re Doctiſsimi
homines alij: magnamq; huic negocio & lucem
intulere, & dignitatem conciliarunt: quorū om-
nium labores et magnifacio et veneror: ſed quia
hanc neq; tractandi, neq; dicendi rationē ſequu-
ti ſunt: ſpero noſtras illis vereque doctis omni-
bus, deliberationes & ſcribendi explicandique
Methodum, nequaquam improbatum iri: cum
potius noſtra adiuncta aliorū ſtudijs venuſtam
quandam & pergratam eruditis curam excita-
uerint: vt & cognoſcere ſingula: &, quod primū
eſt, tueri hæc & approbare velint. Sed hanc ego
interea abrumpam de re pulcherrima narratio-
nem. Quæ enim libri totius & varietas ſit & ſe-
ries, & complexus argumentorum: quaq; mate-
ria vniuerſi corporis abſoluantur membra: ex i-
pſo potius vſu lectioneq; operis intelligi, quàm
prolixiore quadam nunc expoſitione oſtendi
ac commemorari volo. Cum autem ſæpè mihi

& id

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

&id quidem multum de varijs Nauium exſtru-
ctarum vſibus dicendum erat in hoc opere: ac-
cidit vt ea etiam occaſione multorum quidem
populorum, vrbium, itinerũ & Nauigationum
mentionem fecerim. In ea re ita induſtriam, labo
res, ſumptus & fortitudinem multorum laudo:
vt quæ vel locis propria, vel gentibus domeſti-
ca eſſe putantur vitia, nemo hercle vnà lauda-
ta ea aut à me defenſa eſſe putet. In id quidẽ cum
mihi minimè inquirendũ fuit: ſanè quòd virtu-
tũ ſtudia extulerim magnifecerimqꝫ, vitio mihi
nequaquam verti debeat: quòd & omnibus ho-
minibus, quibus tandem cunqꝫ etiam illis, ſua
quædam ſit deformitas & in vitia conſenſus: &
Virtutem prædicari minimè prophanum duxe-
ris: etiamſi cum hac haud rarò aliqua fortaſſe vi-
tiorum ſeges pullulet: & quæ tolli reprimiqꝫ gu-
bernatione ac diſciplina deceat, lætiſsimo quo-
dam ceu prouentu vberrimè ſuccreſcant. Tum
verò nec collocandis hiſce nec nominandis or-
do quidã à me ſcrupuloſiore animi iudicio ob-
ſeruatus eſt: ſed quod huiuſmodi quidem in ſcri
ptorum generibus, quæ vtilitati, non adulatio-
nibus & captandæ auræ deſtinata ſunt, fieri ple-
rumqꝫ ſolet: quo ſe quodqꝫ interdum ordine in-
geſsit cogitationi: ita collocatum inſertumqꝫ il-
lud eſſe deprehendes. Oratio mihi ſæpè virtuti-
bus laudandis comparata eſt. In ea re non inui-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

dia diſceptari de loco ac ordinis fortaſſe dignita tevellem: ſed ineſſe ſtudium omnibus: quo quæ pulcherrima ſanctiſsimaq́ꝫ demonſtrantur eſſe prædicatione: ea ſibi quiſq́ꝫ optanda conſectandaq́ꝫ et imprimis apprehẽdenda eſſe exiſtimaret. Fortis & honeſta erat Lacedæmoniorũ Reſpõſio ad Thermopylas: cum ſe de loco cum Thebanis non moturos controuerſiam aſſererent: ſed quocunq́ꝫ illi collocarentur loco, operã daturos, vt honeſti forteſq́ꝫ ciues reperirentur. Ita in virtutum curſu, non loci dignitas aut prærogatiua ordinis: ſed cõtentionis alacritas & vincendi deſiderium omnibus excellentiæ perſuaſionibus antecellat. Poſtremò cũ Belli huius quod nunc Republica inuita, inter Selymum Imperatorem Turcicum & Ciuitatem Venetam Reiq́ꝫ publicæ confœderatos exarſit, mentionem his in libris ſubinde faciam: etſi minimè me lateat Summorum Ducum, virorumq́ꝫ fortiſsimorum nomina cumprimis celebrari rerumqúe capita præcipua, & ſummam actionum omnium comprehendi nominariq́ꝫ omnino debuiſſe: ne quid eo in loco memoria deeſſet eorum maximè, quorum induſtria, conſilijs, fortitudine & periculorum magnitudine res tantæ geſtæ: tantáque victoria, æterna & Reipublicæ & Confœderatorum, Summorúmq́ꝫ Ducum, conſiliariorum & fortiſsimorum militum laude, parta eſt & re-

portata

portata:cum tamen, & operi ea quidem in parte modus ſtatuendus eſſet: & ſerius allata ſit vera iuſtaq; rei maximæ narratio: & ſarciendum id mihi alio deniq; in loco duxerim, quod deeſſe videri in hoc queat: equidem fortiſsimis ſummisq; Reipublicæ & cõfœderatorum Ducibus, quod actum iam à nobis eſt, placeat: qui cum ciuitatem Venetam & florentem & ſaluam omnes eſſe cupiunt, equidẽ & facti conſcientia virtutisq; gloria excellant illi inter ſuos hodie: & hanc meam erga ciues Ampliſsimos iudicij ac voluntatis ſignificationem ita approbauerint: vt cum Rempublicam ſubinde à me laudari vident: ſe quoq; ſuorũq; periculorum & victoriæ ſocios vnà laudatos eſſe putent.

A' te verò, Illuſtriſsime Princeps, Nobiliſsime Senatus, Ampliſsimi Patres & vniuerſa Reſpublica meritis tuis & recenti ſtudio fortiſsima: id vnicè contendo: vt quæ à peregrino, ſed amante interim tui tibi deſtinata conſecrataqúe eſſe vides: ea & placidè ſuſcipere, & candidè interpretari: quodqúe ſummum ſit, honeſta hęc & vtilia ingenij monumenta complecti & amãter fouere velis. Scio tibi & animorũ cogitationes, et Reipub. conatus omnes, triſtiſſimo hoc & periculoſo iniuſti belli vſu diſtrahi & occupari: nec nũc magnopere vacare poſſe literarum ſtudijs: quæ cum apud multos haud

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

rarò ſpreta langueant: bellorum certè tempe-ſtatibus apud omnes plerunque aut conticeſ-cant neglecta, aut ſepoſita interquieſcant tantiſ-per, dum reducta reſtitutáque pace, etiam lite-rarum dignitas & vſus ſine inuidia reſtituatur. Nihilominus fiducia virtutis, Iudicij atq; huma nitatis tuæ fretus, peto vt hæc tibi accepta eſſe patiare. Nolui ego vacuus meæ (vt dixi) erga te voluntatis teſtimonio accedere: quam & pub lica virtutis tuæ fama: & illi ſæpè, qui Ciuitatis statũ Venetæ antea aſpexerant: et proprij demũ Mercatores tui qui ad nos interdum circumna-uigatis multis Europæ gentibus accedunt: ma-gna mihi & conſtantia & conſenſu orationis au xerant & confirmarant. Dulce autem eſt & gra-tum Imperij Veneti Maioribus, dignitatem Rei publicæ, & virtutis famam bonis quibuſq; ap-probari. Ego verò & hîc Orationi huic noſtrę fi nem facio: & me Principi ac Patribus Ampliſſi-mis commendo. Deus, boni omnis in natura author, & ſaluam eſſe velit Inclytam fortiſſi-morum Venetum Rempublicam: & Ducem ſa-pientiſsimũ, Senatum Nobiliſsimum, & omnes dignitate patria Ampliſſimos Heroes in huius Ciuitatis incolumitatem excitet, gubernetq;: & Conſilia denique expediat, quæ & paci pro-ſint & Rempublicam conſeruent. Bene Va-leat Inclyta Reſpublica cui id ex animo precor

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

DEDICATORIA.
Vt, quæ recta velit, fructuq́ꝫ ac laude ſequatur. Baſileæ XXII Februarij Anno MDLXXIII.

Illuſtriſs. Principi ac Duci,
Nobiliſs. Senatui
totiq́ꝫ Reipublicæ
Venetæ

Addictiſs.

Cimb. Eraſmus
Michaëlius Lætus.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

C. Eraſmi Micha-elii Læti,

DE RE NAVTICA

LIBER I.

Terra.

NAutica res, pelagiq; labor, tumidoq; profundo
Inſula ſparſa: rates quæ primùm cauſa quis vſus
Extulit: Oceanō quæ prælia geſta, quibúſque
Moribus altiſonos conſcendit Nauita fluctus
Subſeruitq; liis, farcitq; in lintea ventos:
Materies delecta ſiet, quæ verſibus addat
Quos mihi non dubios cumularit Phœbus honores.
Magna ſequor, Latiiſq; nihil tentata Camœnis
Nec prius Auſonio perfecta poëmata verſu.
Et mihi neſcio quo iam pridem impulſa furore
Mens auet æratas in carmina mittere puppes:
Connixoſq; foros tabulataq; merſa lituris
Dicere, & extantes calamis inducere malos.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Diuitis ingenij eſt lembus dare certa liburnis
Nomina, & ingentes comprendere verſibus ornos:
Inſertaſq́; trabes immenſaq́; robora quercus
Iungere, & è facili complectier arte carinas.
Non hæc humanis res motibus ardet: Olympo
Venerit, ac ſupero mentem ferit aucta parente.
Cuius & auſpicijs cum ſit ſuſcepta, feratur
Huc labor: & circum conſtent mihi pectora vires
Quæ cœlo placeant, vitamq́; in carmina mittant.
Christe Deus, generis noſtri reparator, & iſtis
Maxime muneribus: ſi quid tibi noſtra benigno
Militet, aut gratos tueatur Muſa labores:
Hos mihi conatus, & amœni robora cepti
Perfice. ſidereo numeris agitata calore
Influat ac ſeros recrearit vena nepotes.
A te principium Muſis venit. imbue motu
Pectora noſtra tuo: facilemq́; ad maxima dextram
Sic age, vt haud dubio conſtent impendia fructu;
Noſq́; legant nullis obnoxia ſecla ruinis.
Tum tu Pïerijs, Venetum Reſpublica, ſemper
Vatibus aucta, ſacris ſemper cantanda Poetis:
Inclyta gens, ſerieſq́; patrum: cui ſtemmata longos
Illuſtrant titulos factiſq́; recentibus ornant:
Hanc animis etiam curam tibi ſubde: Camœnas
Aſſere plaudentes, quantumq́; affundere poſſis
Lumen, & in tenues tua mittere numina chartas:
Tantum afflare velis noſtris ſacra robora Muſis.

Vera

Vera equidem medios inter tibi gloria fluctus
Surgit, & haud dubios nomen tibi creſcit in vſus:
Dum tua virtuti ſacratur fama, bonoq;
Communi totos ſtudeas impendere neruos,
Lucraq; ſub varias populorum mittere ſortes.
Quæ vel ſola quidem primis via fontibus vrbis
Auxit opes, auctasq; dedit ſub noſtra venire
Secula: & æterno firmas tranſmittet honori.
Teſtor aquas littusq; Padi, fontesq; Timaui,
Nympharumq; choros: quæ circum mœnia vectæ
Ingentes Venetum populo dant creſcere laudes,
Auguſtumq; iubent delabi in ſidera nomen.
Non tua perpetuos parient tibi ſecla tumultus:
Obijciéntve fero placidiſsima tempora Marti.
Illa dies aderit, qua tu eluctabere tantis
Gens inuicta malis: tibi quo Bellona furentes
Tollat, & hos demum vaginæ immiſerit enſes.
Mutua tum Virtus inter commercia gentes
Eriget: ac toto deductas ire profundo
Veliuolasq; rates, miſſasq; per æquora puppes
Donet, & hoſtili non preſſerit igne liburnas.
Profuerit certè non tantum commoda pacis
Tum ſpectare bonos: etiam meminiſſe iuuabit
Maxima commoto fuerint quæ vulnera bello.
Dij tibi Libertas quæ ſunt optanda ſecundent:
Fortunamq; Ducis, ſacriq; beata Senatus
Vota ſub æterna ſtatuant frondeſcere Lauro.

Cumq; hoſtes inter medios & acerba laborum
Semina verſentur: pontoq; ingentia, noſtro
Quæ pariant orbi lætam perfecta ſalutem,
Experiantur: erit cœlo pia cura tueri
Cuſtodes noſtræ, fortiſſima pectora, vitæ.
Nos equidem, tanquam ſi res nihil iſta feriret
Unà alios, lenis inducimus ocia dextris:
Spectamúsq; procul quò ſe ferat exitus: ipſo
Forſitan eventu, quò demum hunc ſidera voluant,
Vel nil ſolliciti, vel non ſatis. vnica gentis
Inuictæ virtus communem armatur in hoſtem,
Depellitq; tuis tam certa pericula regnis.
Huic gratare: aliud ſi nil licet. hoſtis acerbi
Te moueat rabies, Venetæ vt ſis æquior vrbi
Semper: & ex animo cupias ſuccedere, quo ſe
Quóq; ſuos vera ſub Libertate tueri
Et proferre queat. nihil eſt ſubtendere, cauſa
Excludi tete, cum non excluderis hoſte:
Qui tibi communis, nihil intermiſerit vt te
Opprimat: immanes quà occaſio mouerit iras,
Seq; opportunis oſtendant tempora bellis.
Sed quid ego hæc tenui conſector arundine? Dij dent
Hos inter riuos ſcopulíq; latentis arenas,
Incluſósq; ſinus, Virtutum ſemina multo
Creſcere læta bono: quantúmq; eventibus inſtant,
Tantum equidem ſolido meditentur publica fructu
Commoda: & inuictam ſeruet Deus arbiter Urbem.

Res

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Res præclara quidem pax eſt: ſed venerit vſu,
Nullus vt hanc pacem qui prælia neſciat, ornet:
Uſq; adeò haud ſapimus. Sed enim Dux Inclyte ſummis
Aucte bonis, inter Mocenicos grata propinquos
Fama tuos: cui ſe iam pridem gloria vero
Intulit Heroi: Uirtus inſcripta Camœnis
Copulat, ac ſolidos prudentia iungit honores.
Tum tu, pars populi fœlix, diuine Senatus,
Magnificiq; viri, & Reſpublica nobilis, huius
Fœturam ingenij monumentáq; ſeria totis
Aſſere pectoribus: quantúmq; per ardua poſsis
Bella, ſerenato Uatem complectere vultu.
Non tibi materies obtruditur aſpera, diris
Effera nominibus. non hîc Buſiridis aras,
Antæive domos, aut tecta Lycaonis, & quos
Audendo ſtolidos fregit Iouis ira Gigantes,
Permetuiſſe velis. nihil eſt feritatis in hiſce
Verſibus, at Charitum veniunt aſperſa lepore
Carmina, quæ faciles inter mihi numina lauros
Sollicito dictant gratiſq; relatibus augent.
Non lites rixáſve ſero, non iurgia fictis
Molior articulis. ratibus delector, eáſq;
Si qua fata ſinant inductas verſibus orno.
Haud reliquis mouear. nam ſermo eſt purus, & Urbi
Quæ ſua ſors Venetæ poſsit dare læta precabor
Liber, & in noſtris ſint vota ſecunda Camœnis.
Quin aliquando malis finem Deus explicet. eſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Inuictos animis fas ſit: quos aurea Virtus
Iuſtaq; quos patriis ſeruat ſua cauſa triumphis.
A voto, rerum aggrediar primordia. ſanè
Si iuſtas animi curas meritóſq; dolores
Inÿcio fas ſit præmittier omnibus: hac me
Nequaquam inficiar cumprimis clade moueri,
Quæ latè ſacris incuſſa eſt fœda Camœnis.
Haud ignoro quibus iam pridem caſibus vrbes
Magnificæ cecidere: quibus deiecta ruinis
Inclyta funeſtos ſenſere palatia motus.
Res ea non etiam obſcuris eſt prodita ſcriptis,
Et vetera egregias augent veſtigia laudes.
Hanc animis famam Babylon ſubmittit, & illi,
Troia quibus latè perÿt flagrantibus, ignes.
Aut quis doctiloquas olim miratus Athenas
Non coluit? tamen hæc ſubito velut obruta luctu
Senſÿt Vrbs triſtes ſibi condi in viſcera morbos,
Vel quibus euerſa eſt, vel languet acerbius. Ipſa
Nec caret impulſu fortunæ Roma, priores
Vicerit vna licet famæ ſplendore: nec illi
Deſuerit virtus: qua vel contraria ſterni,
Vel ſua non dubio fulciri milite poſſent.
Quin ſubuerſa vides iam tecta antiqua, locóq;
Exceßiſſe domos: & grandes mole Coloſſos
Ardua præcipites traxiſſe in funera lapſus.
Hæc alios perſæpe quidem mutatio mouit:
Ut neq; de ſuperis quæ ſunt ſtatuenda, ſequantur;

Nec

Nec dent eſſe locum veris virtutibus. aſt non
Prudentes etiam quo vulgus more, ruentis
Concuſsíve malis faſtigia ſplendida regni
Aſpiciunt. alio menſurant pondere tantos
Fortunæ caſus, veráq; è luce tuentur.
Non etenim temerè nec inani prorſus ab vſu
Delabi ruitura putant: ceu cæca vetuſtas,
Quæ planè ignaro ſtatuebat plurima cœlo
Mergier, & totas nihil id curantibus vrbes
Everti ſuperis. ſed magnis maxima cauſis
Culmina deijcier: cùm vel Iouis ira, vel acri
Mortales vitiō, ſeries vel pendula rerum
Præcipitet ſummis comprenſa palatia regnis.
Et tamen hæc tali contingere vulnera morſu,
Ut quanquam ſplendor, magnæq; potentia laudis
Forſitan excedat, maneant veſtigia lucro
Non etenim ſpernenda ſuo: ſtet gloria quamvis.
Iam minor, ac aliquo ſe fulciat vſus honore.
Sic Babylon, ſic durat adhuc tibi Roma. labaſcunt
Culmina, ſed variis perſtant fundamina neruis.
Quáq; licet veteri ſubdunt noua fulcra ruinæ.
Non igitur luctum res hæc parit. vna nitorem
Utilitas præſens cumulato munere penſat.
Quin fuerint quædam tales fortaſsis in vſus
Condita, vt haud etiam, ſubverſa ea poſſe videri,
Afflictum doleas. Labyrinthi quanta vetuſti
Ambagésq; ſtruésq; fuit: ſed commoda tanto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quæ demum ex opere, & tantis è flexibus eſſent?
Pyramides medio ſublectas gurgite Nili,
Et Pharios ſtruxiſſe duces mirata vetuſtas
Extulit, & vario perfectas iunxit honori,
Inſcripſitque luto patuli miracula mundi.
Scilicet ingentes cum tanta licentia regum
Abſumpſiſſet opes, celſoſque extare Coloſſos
Iuſſerit, ac faciles tenuari in culmina metas:
Spectaclum populis tantùm daret, eſſe ſepulcris
Ingeſtos lateres cumulatáque ſaxa Tyrannis.
Has verò multò pòſt deſciuiſſe: quòd illas
Strauerit aut caries, aut crebro ex impete Nilus
Eraſis equidem baſibus confregerit, vnda
Diſſoluente ſtruem laxáſque ferente columnas:
Quid demum eſt, cur tu cruciari pectora velles?
Ingenij ſed enim monumenta perire, ſacráſque
Inuolui Muſas & ſcripta diſerta tenebris,
Id ſanè luctu dignum veróque dolore
Eſſe putes. nec enim reparari munera noſtris
Viribus iſta queunt: & habet ſibi quiſque quod vni
Sit proprium, atque alijs non ſit commune Poëtis.
De reliquis ſileam. perijt noua gloria Vatum
Alcmæon: latè cui circum mollia Phœbus
Serpere laurigeros tribuebat tempora flores,
Et ſua fata ſequi famámque æquare Camœnis:
Vſus Pythagora perhibetur vt eſſe magiſtro,
Naturæ vires occultáque ſemina mundi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Primus in hanc magno produxit acumine lucem
Monſtrauitq; vias, quibus hæc veſtigia rerum
Cauſarúmq; modos ſtudio cognoſcere poſſes.
Hunc equidem inſigni, ceu fama eſt, Nautica verſu
Deſcripſiſſe ferunt celeréſq; notaſſe carinas,
Nominibúſq; ſuis validas exquirere puppes.
Denique nauigijs formámq; genúſq; modúmq;
Verbáq; non dubijs tribuiſſe ſequentia rebus.
Dij facerent tali ſupereſſe Alcmæona ſcripto
Et noſtras implere manus: fortaſsis haberet
Hic labor authorem certa quem lege ſequatur.
Nunc genus hoc totum nullis illuſtre Camœnis,
Non aliquo excultum ſtudijs Duce languet, & atros
Obiectat Vati metuenda in pondera vultus.
Attamen haud fugiam tentare hæc magna: dabit res
Et fortuna modum, tutis quo lintea ventis
Optatos portus propoſtáq; littora prendant.
Principiò faciles ſatagat quicunque liburnas
Moliri, aut celſas ab origine ducere puppes:
Non ea mortali tentare negocia tantum
Præſidióq; operáq; velit: rem ſanus Olympo
Traxerit, & ſuperis ſibi iuſta fauentibus auſit.
Fœlicem quid enim ſpreto Ioue dixeris eſſe
Conatum? cœlo num tu auerſante carinam
Tendere, & immiſſo ſatagas compingere vallo?
Dijq; Deæq; omnes, ſtudium quibus iſta tueri
Inferiora putes, cæcam tibi pectore mentem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Eximere & ſolido properent dare lumina cordi
Ut ſapias. vel quid? primis veſtigia tectis
Extuleriſne, Deûm niſi te clementia tutum
Seruet, & in placidos veniant tibi ſidera greſſus?
Et tamen in ſolido prolatam ceſpite plantam
Figis adhuc, tutóſq; teris tibi limen in vſus?
Quid cenſes, cum te congeſtis vndiq; lignis
Ardua veliuolas adigit mens fingere puppes
Et tantas moliri operas? quid iurgia ponti,
Quid tempeſtates, quid æquas, quídve æquoris æſtus,
Quídve repentinos læſi tibi numinis ignes
Aut memorem ſubitos ignota in littora ventos?
Et tamen hos inter fluuiíq; ſalíſq; furores
Puppis eat: nec adhuc precibus dignabere cælos,
Offenſam've Deûm votóq; ac thure piabis?
Deſine fœlices ſpondere in robora motus
Quæ tibi magna paras, ni te Deus adiuuet, & quæ
Prima paras primo patiare inſcripta Tonanti.
Principe quiſquis enim fundamina ponit Olympo,
Prouidet vtiliter, placidíſq; eventibus auget
Conſilium, & rebus firmum ſubtendit honorem.
Contrà quàm fieri videas vbi plurima cælo
Adverſante labant, atq; irrita prorſus inani
Propoſito excedunt laudémq; in crimina vertunt.
Qualia ſæpe viros agitant inſomnia, cùm ſe
Magnificè extulerint. vel quis me deniq; fallat
Eventus? diti plaudunt mihi ſcrinia nummo,

Colluctórq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Colluctórq; opibus:granaria læta redundant
Fructibus & nullis errat prudentia factis.
Quídve clientelas? quid fœdera? forſitan eſſe
Fœlicem ſine me liceat mihi.nulla labori
Defuerit fortuna meo.nec ceſſero,ſi quis
Meme etiam multis ſatagat rationibus inde
Excutere & vario pingat diuerſa colore.
Haud equidem virtus magna eſt,ſi maxima cœlo
Propitio peragas. Ita ſe cùm ſtulta prophano
Venditet ore,deos contemnit turba:ſuiſq;
Ipſa ſibi remoram & contraria vincula factis
Iniicit,ac ſtudio nil ſuccedente fatigat.
Nam minimo ſuperi ſubuertunt maxima vento:
Et leuis aura quidem eſt,quæ grandes prorſus aceruos
Diſsipat,ac ſtulto hæc ſapientia corruit auſu.
Aſt humili claras tu res ſermone ſequare,
Et concede Dijs:quantúmq; in lumina tendas,
Auxilium ſuperos tantum tibi poſcere cœlos
Et ſperare velis.authoribus ardua diuis
Et facile expedias, quæ tu pulcherrima tentes:
Et cum facta ſient,fructu te læta bearint.
Cætera non dubio moderetur Chriſtus honori
Euentúſq; reget,conuerſáq; triſtia flectet
In melius:ne quid fruſtra tentaſſe videri
Inclyta facta queas.nihil eſt confidere vanis
Promiſsis hominum.fœlicem pacta ſequuntur,
Afflictum fugiunt.tibi iacta ſit anchora rebus,

Quæ morſu duris ſub tempeſtatibus acri
Prendat, & infracta ſeruet virtute carinas.
Cœlo igitur patriæq; bono ſeruire iubebis,
Quod tu cunq; tuis vrgere laboribus audes.
Si ſuperi faueant, ſeſe res promouet: omnes
Induit articulos, momentáq; triſtia vincit.
Aduerſo ſedenim ſi voluas maxima cœlo:
Nil hominis ſtudium, nil huic coniuncta labori
Cura facit: vanis plerunque euentibus ardor
Inprobus exſpirat, factúmq; doloribus auget.
Non etenim ferri ſtatuas mortalia caſu,
Et nihil eſſe Deos. Dÿ ſunt: & noſtra potentes
Omnia diſpenſant, rerúmq; in fata tuentur.
Hos igitur caput eſſe Deos ceptiq; laboris
Propoſitiq; ſinas: conſulto magna Tonante
Proſper adi, & lætis decerne exordia rebus.
Proxima te moueat ſapientem cura futuri
Optatiq; operis neruos expendere: quóq;
Tanta facultates perferre impendia cenſu
Poſſe putes. nihil hic obueles ſeria fuco,
Nec te, quæ nondum ſors eſt tentata, titillet,
Sollicitis equidem articulis, & pectore multùm
Res ea ſollicito cum ſit voluenda, labores
Excitat, & vario curas tibi ducit ab vſu.
Et tamen id certa fieri ratione neceſſe eſt.
An ne prius multò decuit te exquirere quantum
Re valeas: quantúmq; tuis conatibus arca
Seruiat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Seruiat, ac quantos tolerarint horrea ſumptus:
Quàm cum incepta quidem tibi tendat in æthera moles
Attollatq́ latus mediósq; excedat in orbes:
Ulterius nequeat deducier? aufer ineptos
Ex animis ſenſus: & te metire, tuasq́
Cautus opes ſolida rerum penſato bilance.
Vidi ego præclarè fatuos: quibus omnis in altum
Icariis mens freta viis ſpectabat, & auſu
Proxima ſydereo ſibi fingere culmina Soli:
Haud tenues tentaſſe operas: cepiſſe, procúlq;
À fundamentis duxiſſe ſequentia. ſed quid
Interea? planè id quod ſæpius accidit illis,
Qui portu excedunt ratibus, tranquilla ſecuti
Aequora nil validis armati in nubila remis.
Hos etenim à noto propulſos littore, cum iam
Pertica nequicquam fundi cedentis arenas
Stringat, & haud firmis inſiſtat nauita contis:
Fluctibus obſeſſos violentas æquoris vndas
Atque aduerſa pati tumidósq; horreſcere ventos.
Mox nihil arbitrio deferrier. acta profundo
It ratis, ac varios tolerant ſubſellia motus:
Dum iactet mare comprenſos: dum feruida circùm
Tempeſtas ſubitos attollat in aëra fluctus
Infundatq; rati, patulæ've ingurgitet aluo.
Horror habet cunctos. interdum plura peribant
Corpora, nonnunquam ſi quis deus adfuit, alto
Ereptos prenſa ſubitò tellure videres

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Talia cæruleos propter capere omina fluctus.
Dij maris, & ſi quæ miſeris mortalibus vſquam
Numina dextra fauent: ratibus meliora ſecundent
Et nihil his ſimiles fundant in carbaſa ventos.
Tum verò excelſos humano in pectore faſtus
Stultitiámq; doment: ne ſe mens effera multis
Cladibus inuoluat, cum vel ſuperantia vires
Prendere poſſe velit: ſtudium vel inutile tentet
Et ſibi non ſolido figat veſtigia greſſu.
Sic monuit, ſicco dum naufragus hæſit & atros
Obuertit pelago rorantia lumina vultus:
Hortatúrq; ſimul, ne quis quæ proxima linquat
Littora, & audaces decernat in æquora curſus:
Cui neq; vela quidem, neq; ſuppetat anchora, nec ſe
Aptati referunt iuſta in ſubſellia remi.
Eſſe hominis plus quàm ſtolidi ſibi fingere, quos non
Interea fructus vera è ratione ſequatur.
Planè igitur numeros & rerum cuncta tuarum
Pondera venturis æquata laboribus omni
Exquiras ratione: nihilq; ingentia tentes
Culmina, ſi tenui ſubigas marſupia vinclo,
Plenáq; ſint nullis tibi proxima ſcrinia nummis.
Quin age vel populi ſannas audire moleſtum,
Vel perferre fuit: medios cum fortè labores
Ridet & inceptum mordere procaciter audet.
Utilius fuerit quòd nil cepiſſe ferare,
Quàm quæ cepta ſient cogare relinquere, primas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et cupias damnare operas, tibi plurima certè
Res ea non dubijs incommoda partibus addet.
Contrahitur famæ labes, fideiq; prioris
Suſpectam patiere notam: conſortia vitent
Vlteriora tui, factisq; illudere certent.
Tum verò tabulas & ligna fatiſcere, crebris
Induci pluuijs, cariem ſentiſcere: iuncta
Soluier, ac ſtructos collabi in priſtina ventres.
Quin operas velut è manibus dilabier, & quà
Se lucrum oſtendat manibusq; animisq; ſecures
Vertere, & haud dubios terebello inducere quæſtus.
Interea hoc ipſum quod fortè impendere poſſes,
Diffluit: aſt animum tacito cruciaueris igne,
Teq; repentino dolor auctus acumine ſternat.
Exitus hic vani plerunq; laboris, & auſus
Vltima meta fuit: cum quis ſuperantia vires
Tentat & è fragili ſe mittit in ardua neruo.
Quare expenſa diu tibi ſit fortuna, probesq;
Quid vel ferre queas, vel quid tibi fata recuſent
Exploresq́ue adeò quanta tibi Plutus in arca
Militet, ac quantis ſint horrea læta medimnis.
Nam celſas fabricare rates, ſtructisq́ue ſupremam
Addere poſſe manum, nihil his vt deſit, aceruo
Venerit ac diti res hæc fluit aurea cornu.
Nec tamen hæc ſolis ratio ſubducta carinis
Aut perfecta ſiet. quid enim? quàm tempora latè
Et quàm iura quidem totam referentia vitam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Officiúmq; patet, tantum res iſta monebit,
Conſiliúmq; regat factiſq; ingentibus inſit,
Fabula ne vulgo fias. en grandia quorſum
Euadunt incepta? caſis conſiſtat, in altas
Quem ſua nequicquam virtus induxerit vrbes.
Nam quod vicino ſperes te ſumere quicquid
In tantas impendi operas & munera poſſit:
Id nihil eſt. dabit ipſe ſemel fortaſſis, & id cum
Durat adhuc tibi ſarta fides, nec fracta vacillat.
At quæ deinde petas, vel ſunt abſumpta: vel iſtis
Ipſe carere nequit, vel nulla fuiſſe queretur.
Et miſerum eſt, cum tu molimina grandia pridem
Inſtituas, mendici inſtar nunc quærere, quo rem
Perficias, equidem fatuos vicinia ridet,
Et cùm nil ſapiat ſapientia, vapulat ipſe
Ergo tuas quantum poſſint ſe tendere vires,
Ante opus expendas. prudens metitur & omnes
Spectat in euentus, tacitamq; examinat arcam
Et loculos operi veris rationibus æquat.
Solerti hinc quæras animo tibi cautus amicum
Et fidum & ſolidum: cui circum pectora multus
Durat, & egregios ſe profert vſus in vſus.
Res ea multiplici redit in commercia fructu,
Et precium virtutis habet. tamen omnibus illum
Prætuleris, non quem perituræ copia gazæ
Unica commendat, nil cætera nobilem: acernas
Cui fallax vario cumulauit fœnore ciſtas

Plutus,

Plutus, & haud tenui theſauros intulit vrnæ:
Sed quem multa piæ virtutis opinio veris
Laudibus apprendit: quem non fœdiſsimus aſtu
Fucus, & elatæ coniuncta ſuperbia menti
In medijs populi ſermonibus occupat. arte
Qui valeat: cuiq; hoc ſapientis nomen honeſtè
Congruit, ac ſolidas vehit experientia laudes.
Hunc tibi propterea, ſi quid ſapis, eſſe legendum
Seruandumq; putes, dubijs ne rebus aſylum
Deſit, vt in cuius gremiumq; fidemq; moleſti
Pectoris impulſus delataq; triſtia fundas.
Eius enim, poterant tibi quæ perplexa videri,
Conſilio expedias, illo ſuadente ferare
In tua lucra vigil. ſi quid premit, illius ædes
Confugium certo poſsis tibi ducere fructu.
Quin ſi quid læti nonnunquam exiſtat, habebis
Quem tu ſecurè tantæ virtutis & vſus
Participem reddas. hominum eſt plerunq; malorum
Hæc ratio, vt triſti tua cum triſtiſsima vultu
Se plorare quidem ſimulant: tum læta tuisq;
Aucta bonis hilari quamuis videantur ocello
Excipere, & grato tibi plaudere gutture: verè
Attamen inuideant, nec quæ tibi voce loquuntur,
Corde probant. crudele genus, cui ſidera mentem
Cùm donent, ſtudium ſceleratus firmat auernus.
Hunc habeas igitur tibi qui gratetur, & eſſe
Ex animo tete vera & virtute beatum

Expetat. haud talem facile eſt reperirier: & tu
Nil ſubitis moueare caloribus: vt neq; mentem
Blandula verba tibi abſtulerint, primusúe ſuaui
Perfuſus ſermone aditus. multum illa diúq;
Res verſanda tibi eſt, prius huc quàm deniq; totos
Advertas ſenſus, & amici in verba quieſcas.
Aſt explorando cum iam tibi vita fidésq;
Conſtat, & egregijs præſtantem hunc motibus eſſe
Perſpectum ſatis eſſe putas: ita prende volentem
Prendier, vt ſolido retinendum duxeris aſſe
Hunc tibi, nec ſtultis ſcindas ea fœdera verbis.
Sicut at æthereo nil Sole eſt pulcrius, atq; hac
Nequicquam poſſunt mortales luce carere.
Sic & amicitiæ vel prima eſt gloria, vel re
Maximus vſus. habet quo te recreauerit iſta
Nata Deo ſoboles cœlóq; educta parente.
Multa etenim in vita perplexa oriuntur: at iſtis
Sic demum expedias tete, ſi forſan amico
Tali etiam vtaris: tuto cui credere poſsis,
Quas animo infundunt interdum triſtia curas,
Dum tete exagitant & ſomnia mollia rumpunt.
Quos equidem hoc demum lucro velit eſſe beatos
Iuppiter, haud dubio cumulatos auxit honore
Difficilémq; dedit plerunque eludere ſortem.
Præſtat amici equidem portum tibi ianua, ſancte
Vtier hac deceat ſolidóq; aſtringere vinclo.
Poſtremò cum te res huc tulit æmula, puppim

Vt primo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vt primo tentare velis educere fundo
Moliriq; baſim, cui tigna ſequentia totis
Nexibus incumbant, tabuláſq; imponere certes:
Ante locum capias oculis, vbi rite carinam
Tendere & hanc totam poßis expandere molem.
Res ea ſolerti cum lumine conſtet & acri
Iudicio: tum magna quidem rebúſq; gerendis,
Atq; operis pariet non cæco commoda lucro.
Aut quid habet, quod non proſit locus? inde frequenter
Creuerit vtilitas totámq; impleuerit vrnam,
Maturátq; manus & honeſtas promouet artes.
Prima igitur tibi cura locum decernat. eúmq;
Opportunum etiam: qui non procul abſit ab vndis,
Siue ea fluminibus, ſeu puppis dura ſtruatur
Aequoreos aditura ſinus pontóq; feratur.
Vix etenim dici poßit, quæ commoda littus
Vicinúmq; tulit ſecum mare. promptius inſers
Omnia, & appulſo potes hæc exponere lembo.
Seu tibi materies ſurgenti prima carinæ
Importanda fuit: ſeu deducenda peracto
Puppis erat fundo: celeres vicina miniſtrant
Littora prouentus ſtudiúmq; laboribus addunt.
Commoditas ſed enim terra quoque venerit: huc ſi
Aut currus facile, aut celeres vrgere caballos
Tete poſſe putes. interdum plurima terris
E medijs vectanda ſient. non aſper & altè
In præceps igitur tendat locus. æqua miniſtros

Planicies beat, ac iumenta trahentia ſeruat.
Quin neque deformi ſit terra obnoxia limo,
Nec demerſa luto. res impedit vtraq; grandes
Huc rerum moles & grandia pondera ferri.
Sit ſolido quapropter humus fulcimine: conſtans
Sit terræ fundus, nuſquamq; abſorpta fatiſcat.
Sed faciles ferat acceſſus: vbi cura volantes
Incitat æqua rotas, adigatq; in littora currus.
Haud promptum eſt huc tendere equos, vbi terra labo:
Immenſum duplicat, nec amant iumenta reuerti:
Nec cogi interdum redeant vt territa, poſsint.
Opportuna igitur ſubigendiſq; obuia rebus
Planicies iaceat ſpacijs extenſa ſecundis
Et multum complexa ſoli, qua proxima ponto
Terra ſit, ac facilem dabit eſſe meantibus actum.
Quod ſi in circuitu perq; interualla remoti
Conſurgant montes: cliuoſq; ſub ardua tollant
Sidera, nil prohibet media tum valle carinas
Tendier, ac facili celerare propidia motu.
Id caueas, aditu ne quid fortaſſe moleſto
Aut grauet, aut animos minuat locus. omnibus vnum
Proſpectum curis tibi ſit, ne limpha labores
Obruat, effuſo cum laxior imber hiatu
Defluat in valles, & ſeſe huc colligat vnda
Lætior ac operas cumulato gurgite turbet.
Id quanquam ſemper metuendum eſt, maxima primo
Vere tamen clades plerunq; accepta monere

Vna

Una poteſt, cura ne quid patiare remitti
Pectora, quæ multò quàm res euenerit, ante
Conſulat ac ſubitas auertat cauta ruinas.
In reliquis ne quid detractum vallibus eſſe
Tute velis. ſedenim vergenti in littora fundo
Commoditas petitur, quæ totum iuſta laborem
Promouet, ac celeri dat creſcere mole carinas.
Terram igitur, fluctus paulum quæ exceſſerit, aptam
Condendæ ſciat eſſe rati: ſublimia vitet,
Vitet & hæc, vbi ſe littus velut aggere tollat
Altius, inq; ſinum ceu robora ſtructa recondat:
Obijciatq; operas inter fluctusq; liquentes
Arrectum dorſo tumulum: quà commoda lembo
Nec via, nec celeri poterit ratio eſſe liburnæ.
Hæc prius admiſsis tollenda ligonibus eſſe
Dorſa ſciat. ſedenim cum conſtitit æqua meatu
Terra ſuo, iam tum poterit ratis incita duci,
Atq; ſubire ſuos cautiſsima machina curſus.
Quid quòd & hic certo locus aut munimine ſeptus
Aut cuſtode ſiet. res hanc non vana requirit
Commendatúe operam. vel inutile duxeris eſſe,
Omnibus huc aditus totumq; pateſcere tractum:
Vel minimè tutum ſtatuas naualia diris
Furibus obijcier: qui quæ arriſere, vel atra
Iam ſublecta manu rapiunt: vel nocte ſilenti
Hanc animis curam ſceleratáq; pectora verſant.
Tum verò iſta putes infauſto lumine multos

Aſpicere, & minimè fœlici crrnere vultu
Quæ tibi cepta ſient primóq; vrgentur ab orſu.
Hos certa eventus docet experientia. ne te
Hæc igitur ſæuis infecta Megæra colubris
Obruat, aut operi diro ſcelus afflet ocello,
Proſpicias quantumq; potes tua commoda firmes,
Occluſoſq; habeas in tanta negotia poſtes.
Ut nihil interea memorem quid ab hoſte pericli
Permetuiſſe queas. vel te ſpeculatur & omnes
Colligit articulos, alienáq; facta videndo
Conſulit actutum proprijs nuſquámq; moratur.
Vel fortè audaci tentauerit ardua mente
Facta vigil tacitáſq; ferat ſub robora flammas,
Subijciátq; faces validóſq; inſtrauerit ignes,
Qui tibi materiam, congeſtaq; pondera tollant
Ocius, ac triſti cumulent naualia damno.
Has equidem fraudes occulta pericula vites,
Dummodo tuta loco tendatur puppis, & iſtuc
Sit tibi cura frequens, ſeptiſq; incluſa tegatur.
Hæc ergo inijcio cum ſunt perfecta: deinde
Id ſtatuas, puppes non vno è fonte moueri
Simplicibuſq; vijs: diuerſa iuuamina paßim
Et varij coëunt tam celſa in facta labores,
Totáq; res proprias partitur in omnia cauſas.
Præcipuis elementa tamen conatibus omnem
Hunc ſibi ſubijciunt formæq; vſuſq; decorem:
Ut quæcunque ſient iunctis perfecta tabellis,

Partim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Partim alia extulerint: partim ſibi deniq; poſcant
Cætera, & è proprio ceu iure hæc condita voluant.
Id mirere tamen: quòd quæ ſtruxere, priora
Penè etiam ſoluant: ſi quæ violentia celſas
Huc adigat puppes cognatáq; corpora iungat.
Sed nihil iſta ſequor. rerum momenta per omnes
Expediam numeros: formáſq; & lintea ventis
Inferam, & in tenues ducam manſura carinas.
Terra nouas igitur ſurgenti prima Liburnæ
Detulerit partes. genitrix ea ſola futuram
Materiam cumulat diuerſáq; ſemina gignit.
Terra pilæ ſimilis medio librata ſub orbe
Atq; immota baſi, cum ſedibus ipſa moretur
Aequora multiſonis circumflua motibus audit
Voluier, ac tremulos inter ſibi ludere fluctus.
Hæc vetus illa quidem eſt genitrix, cui priſca vetuſto
Nomine iura manent: cui doctus Apolline quamuis
Oſcula perplexo Brutus tribuebat honore
Impleuítq; Deûm ſolerti oracula facto.
Huic nos vnà etiam, ſi quid benefacta mouerent
Ingratas hominum diuina obfœdera mentes,
Oſcula non tenui gratiſſima lance daremus:
Humanumq́; genus magnæ ſua vota parenti
Solueret, ac meritæ non raro hac voce litaret.
Salue terra tuis onerata laboribus, vt nos
Cunq; tibi ingratos ac numina nulla colentes
Inuenias: animoſq; parum præſtare benignos.

Da prodire tuos noſtra in ſolatia fructus,
Multipliciq́; velis ſuccreſcere publica lance
Commoda, quæ toti veniant non triſtia mundo.
Tu varias diti largiris ab vbere fruges,
Ac homines inter partiris munera: quæ vel
Paucos noſſe vides, vel ſi nouiſſe, ſalaci
Mente tamen rarò veros amplectier vſus.
Interea nihilo ſedenim minus omnia magno
Prouentu cumulas, numeroq́; accepta beato
Sic reddis: fraudi non ut cultoribus eſſe
Officiumúe fidemúe ſinas. das ſurgere culmos
Latius, ac gratam ſubmittis in horrea meſſem.
Ceu tolerare quidem genitricem multa neceſſe eſt,
Quæ ſobolem gremio diuinaq́; pignora curat:
Cum nihil officys, nil vero cedit amori
Quin quæ iuſta ſient gnato præſtarit, eiq́;
Commodet haud duram varia in iocularia mentem.
Sic neq; tete hominum magnam petulantia matrem
Percellit, rebus nihil vt mæſtiſsima noſtris
Conſuluiſſe velis. pateris tua damna ſimulq́;
Conniues ad facta virûm: quæ plurima tete
Turba ſub impreſſo latitantem vomere ſcindit,
Ingrataſq́; manus tam ſancta in viſcera mergit.
At quales nos cumq; ſumus, te pectore quali
Interea ſequimur, nihil auerſaris alumnos,
Nec tua dona negas: quantum ſed in vltima mundi
Secula diuino tendis Ioue fota parente,

Tantum

Tantum equidem vigili meditaris lucra colono
Et commiſſa auges: licet hîc te cura laborq́
Obruat, ac iugi minuat tibi robora cultu.
Dij tibi florentes ſupera in faſtigia campos
Eſſe velint, nuſquámq́ tuis ſudoribus abſint,
Nec tuus effœta conſtet labor anxius aluo.
Ipſe tibi meritis pro talibus annua ſoluam
Vota, nec ingrato pendas tua dona clienti.
Sic aliquis, terram dum forſitan vrget & omnes
Impenſas lato diducit iure, precatur:
Et meritò. quid enim? terra eſt, cui prima parenti
Officia inſcribas: quòd te amplectatur & æuo
Conſulat, ac veros tibi ſeſe obſtringat in vſus.
Hæc patitur quacunque premis, quacunq́ fatigas,
Et tibi ſe fidam iuſta in compendia ſeruat.
Tum ſi non alio poterat te iure mereri,
Hoc tamen & ſum̃mas ſibi vendicat: eſſe paratam
Se tibi, quæ gremio (cum vitæ nulla trahendæ
Linea, nec dubio ſit meta relicta labori
Vlterius) capiat, gratoq́ illata ſepulchro
Oſſa rediuiuis ſeruet iungenda medullis.
Hoc tete aſtringat iuſtiſſima munere tellus,
Obſequioq́ etiam placeat. ne lignea dicam
Robora, quæ noſtris indulſerit vſibus: vt ſe
Multiplici æquatam ſtudio probet eſſe parentem.
Quisúe etiam celſis plantauit montibus ornos?
Quis viridi florere coma? quis ſurgere pinus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Sidereas inter rupes? quis vallibus imis
Iuſſit agi fluuios: vbi populus alba tumentes
Incingit ripas leuibúsq; alludit arenis?
Libera dextra Iouis ſuperûmq; immenſa voluntas,
Cum nihil hic mundus, cum nil locus eſſet, in omnem
Extulit ornatum vitamq; exiſtere iuſſit.
Quo deinceps rerum cum ſemina læta volente
Durent, ac pleno tollantur in æthera partu:
Mortali curas, quid curas? plurima genti
Commoda mortali decernunt, vſibus addunt
Et quocunq; voces certa in mandata ſequuntur.
Nec facile eſt numerare, quibus latiſſima ſeruit
Terra bonis. nihil eſt quò ſeſe extendere poſſit
Cura hominum, quó non meritos ſimul ardua fructus
Pandat & eximios tellus ſe flectat in vſus.
Præcipuum tamen hoc deducit ab ordine munus:
Quà ſua ligna citis fulcimina puppibus, altis
Nutriat in ſyluis tantasq; reuellat in artes.
Ut gemmas etenim fuluo rutulare ſub auro
Aſpicis, atq; alacres vibrare in lumina flammas:
Sic hoc terra loco primas ſibi prouida laudes
Vendicat: excelſas cum mittit in æquora naues,
Semotosqúe locis grata in commercia iungit.
Ardua mirantur quidam monumenta: coloſſos
Suſpiciunt alij: quoſdam laudare metalla
Sectariq; vides. at enim natura moleſto
Abdidit iſta ſinu, mediæq; in viſcera terræ

Abſtru-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Abſtruſasq; vias & opaca ſilentia merſit,
Occultans: ne quid facili fortaſſe labore
Eruta, ſub faciles veniant producta bilances.
Aërio ſedenim terrarum culmine ſyluas
Iuppiter extendit: circumqúe errare virentes
Mandat, & hos læto frondere cacumine tractus:
Difficili ne quid, quod ſeruiat omnibus, & quod
Omuibus accedat, cumulatum ſorte petatur.
Hæc tibi ſumma igitur rerum ſit cura liburnis
Materiem quæſiſſe, prius quàm fortè carinam
Tendere, & in tabulas libeat tibi ducere nexus.
Hæc tempeſtiuis collecta laboribus ante
Cedat opus. ſtultum eſt poſtquam cepiſſe ferare,
Sollicito primùm tum pectore quærere quo rem,
Quam temerè te vrgere vides, abſoluere poſsis.
At mihi quis ſyluas Quercetaq; ditia, vel quis
Alta ſatis laudet ſuperæ faſtigia terræ?
Res ea non operas hominum ſapit, arbitror ipſos
Penè manum Diuos memori admouiſſe, nihilq;
His ſine diuinos fudiſſe ſub æthera vultus.
Tum mihi perpetuo Dryades referantur honore,
Quæq; ſolo ſteriles mirantur Oreades ornos
Montibus in ſummis, teretes vbi ſurgere pinus
Fata dabant latæq; comas diffundere ventis.
Hic celeres Fauni Satyriqúe excelſa tenentes
Atria ſyluarum nemorumqúe cacumina ſeruant,
Et Phœbo terras vultu luſtrante vagantur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Saltibus obſcuri ſubtusq́; virentia degunt
Robora, nec gelidæ ſubducunt corpora nocti:
Arboreos dirimunt nexus, ſtudioq́; reuellunt
Implicitos nodis vultus, lentáq; ſecuri
Extantes ramos & membra ſuperflua demunt.
Hinc ea protenſis ſuccreſcens frondibus Ilex
Et formoſa ſeges nemorum, cui canabis inſtar
Tendit humo ſoboles purisq; ſtolonibus extat.
Mox loca perpetuo celebraueris inclyta verſu
Quæ multum diuerſa iacent regionibus, vnde
Materies operi ratibusq́; futura petatur.
Et mirum eſt ſparſiſſe Deos in ſingula tantum
Regna boni: vt ſyluas habeant vel cuncta, vel iſtis
Si careant, alio videas incommoda fructu
Sarciri, ac aditu peregrinam admittere puppim
Quæ ferat in patrios aptiſsima ligna penates.
Ergo age quis Libani ſurgentes vertice Cedros
Explicet, ac digno referat ſacra robora verſu?
Credibile eſt illas ramisq́; ac fronde virentes
Excelſas agitare comas, ac cortice puro
Aërias æquare domos, & ſtringere vultu
Nubila nec tenues inferre ſub æthera ramos.
Has equidem imperio florens regniq́; corona
Diuitias Hiram Tyrys rex clarus ab oris
In Solymos tranſmiſit agros, quo maxima ſeclo
Condier altitonans, & condita prima dicari
Templa Paleſtino ſtatuenda in colle iubebat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aut quid Caucaſeos excelſa cacumina montes
Quidúe pruinoſi memorem iuga frondea Tauri?
Qui medias Aſiæ fallaci tergore gentes
Diuidit, ac longo ſe pellit in æquora curſu.
Ille per immenſos Eöi cardinis orbes
Menſus iter varijs ſe flexibus inſerit: atq; hîc
Nunc ſeptem dextro ſpectat ceu crure triones,
Nunc notias læuo dirimit pede feruidus vrbes
Occiduásq; plagas aduerſa fronte tuetur.
Credibile eſt totos terrarum adiungere tractus
Hunc voluiſſe, fretum ni ſe obieciſſet, & alto
Euerſum curſu Riphæum egiſſet in orbem.
Interea Medos & Parthica regna, feroſqúe
Dum premit Hyrcanos & Caſpia littora longo
Aſpicit inflexu, tumidoqúe vel vbere Perſas
Circuit, oppoſitas Lyciæ vel tendit in vndas
Cognatoúe vocat diuina Ceraunia dorſo,
Multiplices equidem fructus & plurima gignit
Commoda: fœlici dum robora ſurgere tecto
Donat & ingentes attolli in ſidera quercus.
Perſepolim certè ac Babylonica culmina fertur
Expleuiſſe. velut florentes ſtruxit Athenas
Pindus, & in totum ſua pondera tranſtulit Iſthmum.
Auſonias arces atq; oppida clàra triumphis
Apenninus obit: medio latiſſima dorſo
Qui ſecat ac Latias hinc atq; hinc diuidit vrbes
Difficileſqúe ſtruit aditus: tantiſper in altam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Dum minimè dubio pertingat acumine Romam.
Aut quid ego Hiſpanos & Gallica prædia dicam?
Quas porrecta iugis diſcriminat ardua gentes
Pyrrhene aërijs vicina tremoribus: agmen
Quà duxiſſe ferunt, Latium cum ſtrenuus orbem
Hannibal inuaſit, cum iam prius igne Saguntum
Et fidos triſti violaſſet funere ciues.
Germanas rupes & ſaxa rigentia cœlo
Quis neſcit? tamen hijs ſyluarum frondea meſsis
Omnibus incumbit verſatqúe cacumina ventis,
Et latas inter ſpargit ſua munera gentes.
Res fama nota eſt. Hercynia maxima cunctas
Vincit, ab incerto cum prodita limite vaſtos
Explicat anfractus, ſpacijſqúe ingentibus aucta
Circuit ac flexu Germanas aſpicit vrbes.
Inclyta non aliter quàm cincta Bohemia muro
Saltibus integitur, medijs nemus incubat aruis,
Attollitqúe comas & frondibus errat amœnis.
Sic quoq; ſidereas diues Valleſia rupes
Alpibus aucta videt, lato circùm aggere cliuus
Prominet, ac tuta Sedunum valle recondit.
At medios inter montes interqúe rigentes
Cœlo apices, inter pulcherrima deniq; Tempe
Aeternum molitus iter meat auctior vndis,
Auctior inceſſu Rhodanus: cui voluere lymphas
Numina non vlli fluuiorum laude ſecundas
Aut virtute dabant. grandi faſtigia cyclo

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et ſyluis oppreſſa rigent, ſubtusque virentes
Aſpiciunt campos & ditia prædia cernunt.
Montibus at ſummis errant diuerſa ferarum
Agmina, Capreoli, Damæ, Capricornus & Ibix:
Incertusque auium numerus, quas vſus & omnis
Commendare lepos diuinaque ſemina poſſunt.
Sed quid ego hæc? tumido vicina Boruſsia ponto
Sarmaticisque plagis, quas denſas aurea ſyluas
Et nemorum quæ regna tenet? quæ ligna per omnes
Miſerit hæc populos? longum eſt numerare quid amplo
Deuehat acta mari, promatque ſub oppida puppis
Quæ varios lato menſurat in æquore curſus,
Et diuerſa petit ventisque vrgentibus errat.
Hæc eſt illa quidem virtusque & magna Tonantis
Gloria, qui varijs mortalia fructibus ornat,
Humanasque inter ſic ſancit fœdera gentes:
Semper vt alterius ſeſe vſibus altera poſſe
Credat egere, atq; hoc demum ſint mutua neruo
Fœdera, & in longos conſpirent littora fructus.
Hîc ſyluæ, veniunt alibi fœlicius vuæ,
Hic ſeges, hic aurum, Defectus, Copia mundum
Nexibus adſtringunt: populis commercia firmant,
Acceſſuque rates & carbaſa læta perurgent.
Nec tamen aut Oriens, nec Iberia lata nec Indus,
Græcia nec magnas ſubiecta caloribus vrbes,
Materiæ plus vellit agris aut montibus altis
Exciſum varias terrarum mittit in oras,

Quo domus aut ſacræ coëant in robora puppes:
Quàm quæ terra graui vicina Lycaonis aſtro
Rupibus inſurgit, vaſtoqúe per ardua ductu
Fertur & ingentes aperit Nortuegia tractus.
Hæc quanquam in boream cumulataqúe frigora tellus
Exeat, ac fines gelidam ſubtendit in Arcton:
Non tamen humanis quæcunq; vel vſibus eſſe
Aequa putes: merito vel quæ mortalia fructu
Pectora ſectentur iuſtisqúe laboribus optent,
Deſuerint. prorſus ditiſsima littora, dites
Illa etiam montes & ditia rura tuetur.
Quid gemmas memorem: fluuijs quæ lecta ſecundis
Corpora, iucundo penitus te blanda nitore
Afficere, & flammas iaculari in lumina poſſunt?
Unio non annos ita multos ante repertus
(Cum populis ius Bryske dares, & plurima tete
Antoni pietas cumulato inferret honori.)
Spectaclo latè miſſus fuit. vt tamen Anglo
Oblatus Regi eſt, nihil is dubitabat Eöis
Hunc opibus conferre. ita ſplendor & illa venuſtæ
Mundicies formæ coniunctaqúe pondera totam
Cenſuræ lancem totosqúe oppleuit ocellos.
Vidimus ipſi Adamantis opus, pulcherrima clauſæ
Pignora naturæ totosqúe polita per artus
Et laterum veris effictà nitoribus: vt cum
Artificis vel docta manus, vel cura iacentes
Excitat igniculos, poſtquam angulus arte ſubactus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Conſtitit, ac radios oppoſtis explicat vmbris.
Has molitur opes tacitis natura cauernis
Qua celeres fluuij ſubiecta in littora magno
Erumpunt curſu laticesqúe ſub æquora mergunt.
Tum fragmenta quidem cæcis auulſa latebris
Et tacitis reſoluta adytis cum matre baſiq́;
Alueus in præceps ſecum vehit, vnde ſub auras
Hæc patulas delata leui captantur arena,
Cum mare ſubſidit: minuuntq́; vel æquora littus,
Vel certè aſtringunt reuocatas flumina ripas.
Cætera quid dicam naturæ munera? piſces
Squammigeros: piſces? quos latè nauta carinis
Duratos vehit, ac celebres tranſportat in vrbes,
Inſcribitq́; adeò pretijs & pondere vendit.
Sed ſua Nortuagicis ampliſsima commoda regnis
Sic ſunt nota, Deo res prorſus vt iſta parente
Maxima proueniat. tum celſis denſa ferarum
Agmina procurrunt paſsimq́; in rupibus errant
Aethereisq́; iugis: vbi nix æterna rigentes
Inuoluit montes nemorumq́; cacumina mergit:
Hoc igitur ſummo terrarum frigore, ſummis
Montibus eximio ſubeuntes ordine ſyluæ
Succreſcunt. Diuûm magna eſt ſapientia quo ſe
Præſidio natura mouet. non omnibus idem
Fortunæ vultus ſuperis arriſit ab aſtris:
Nec parili ſemper tam vaſta potentia lance
Pendet, et æquatos è ſidere detrahit ignes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Diuerſo ſua dona Deus partitur in omnes
Arbitrio populos. ceu ſunt diuerſa per orbem
Climata, ſic varijs penè omnia regna locosqúe
Muneribus donat. res hæc coniungere gentes
Vna poteſt: cum mutua ſunt commercia, cumqúe
Quo tu egeas alio productum exquiris in orbe.
Vitibus Iſmarij montes tumulíque falerni,
Creteusq́; exundat ager, grauibusqúe racemis
Vua Paleſtinos ſaturat tumidiſsima colles.
At Boreas mundi partes Aquilonibus altis
Perflatas hominum genus incolit acre, feríſque
Haud ita funeſtum vitijs, non dedita flammis
Pectora, quæ vetitos inducunt moribus ignes
Luxuriæq́; malum ſceleratis temperat actis.
Sint tibi magna precor faciles Nortuegia Diui
Optatumqúe meet ſidus: geminósque Triones
Aſpicias medium plauſtro ſtrinxiſſe Draconem.
Deniq; ſupremis frondeſcat rupibus arbos
Glandiferæ Quercus alto ſacrata Tonanti,
Materiámq; ferat naualibus. Illa beatis
Lux inſcripta notis placidóq; ſit ædita cœlo:
Quæ nemus & denſæ memoranda cacumina ſyluæ
Prima per aërios poterat dare conſita montes,
Extantésque comis agitare in nubila ramos.
Hæc eſt ſyluarum mercésque & gloria. Diui
Accelerant fructus, latitans dat creſcere virtus,
Faunorumq́; manus ſurgentia robora tales

Inſerit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Inſerit in numeros eáq; in veſtigia ducit,
Vt iam victa meent properéq; ſequantur in omnes
Quo tu cunq; voces partes: ſeu iungere clauum
Mens ſiet ac totam nemori ſubducere puppim:
Seu proram celerare libet, trabibuſq; reuinctis
Condere diductum prælargo fornice ventrem:
Siue aptare foros tabulis roſtróq; minari
Et iuuet antennas tereti ſubnectere malo:
Tranſtráue moliri aut celerare ſedilia nautis
Procerásq; ſudes legere & traducere remos.
Omnia ſuppeditant ſyluæ noſtríſq; miniſtrant
Vſibus, ac merito cæduntur robora fructu.
Quid quòd & iſta etiam mirari ſemina poſſis
Naturæ, ac tacitas animo perquirere vires:
Quòd quanto Arctoum propius concedis in orbem
Et Boream, ac geminis ſubiecta Trionibus arua
Perluſtrare velis ſuperumq; exquirere mundum:
Tanto Querna minus rigidis obnoxia nodis
Ligna dari videas: curuíſue horrentia ramis
Surgere, & implicito ſubtendere brachia nexu.
Canabis inſtar agunt: rectóq; in ſidera vultu
Ferrier ac grata ſe promere mole videbis.
Contrà quàm pluuium fieri prouectus in Auſtrum
(Si multas certè regionum aſpexeris oras)
Comperies: vbi ſubſtricto ſe robora neruo
Valde equidem denſant viréſq; caloribus augent.
Eduras certè Quercus, ceu cornua ſi quis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Lenta ſecet rigidíſue velit dare vulnera ſaxis,
Deprendes. ſed enim vaſta cum ſæpius aluo
Pullulet ac grandes ſeges induat iſta cothurnos:
Informi plerunq; tamen ſub ſidera vultu
Scrupea membra edit. curuum eſt quod gignit, & ipſis
Aſperſum nodis turpi ſubit aëra libro.
Siue ea prima ſoli ratio eſt tendentis in Auſtrum,
Seu calidi vis iſta ſiet: quæ fortè vagari
Liberius deducta ſinit quæ robora cogat
Lege alia, quàm quo denſat ſua corpora motu
Frigus, & æquatas diffundit in æthera frondes.
At minimè his tantũ (quanquã pars magna petatur
Hiſce tamen) veniunt oris tibi ligna ſtruendæ
Quæ ſint apta rati. multis res ſedibus iſta
Vellitur, ac noſtros latè ſuccreſcit in vſus.
Omnibus anteferas Cyprum tamen: vna beatis
Quæ pridem eſt habitata viris, quo tempore faſces
Primaq; ſubmiſit Venetæ faſtigia genti.
Huic ita natura conſultum eſt inſulæ, vt omni
Materia exuberet: quam vel naualia celſis
Intulerint ratibus: vel culta palatia tignis
Moliri aut leuibus coniungere poſtibus ardent.
Nil igitur quicquam condendis puppibus vni
Defuerit Cypro: linumq; picemq; coloremq;
Expedit, ac rigidam deducit ad omnia Quercum:
Infercitq; rates opibus, dulciq; Lyæo
Munit & in iuſtos opſonia promouet vſus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vſq; adeò fœlix ea terræ eſt portio: quæ ſi
Sub Libertatem reparari poſſiet, vna
Omnibus Europæ populis ampliſſima fructu
Commoda præſtiterit Venetamq; beauerit vrbem.
Sed nihil iſta ſequar. Dij dent concordibus vti
Hos animis etiam, quos nunc contentio latè
Diſſipat Europæ proceres: & pace ſequeſtra
Huc demum niti: ſeſe vt coniungere nexu
Aeternoq; ſacroq; velint: quo pectore vincti
Communem totis mox tentent viribus hoſtem:
Confringantq; manu ſceptrum, quod triſte Tyrannus
Pandit, & oppreſſis nunc Turcia gentibus auget.
Id ſi non fiat: ſors penè adduxerit hoſtem,
Qui quod cognatis deceſſerit enſibus enſe
Sarciet, ac fragili fortes è ſtirpe reuellet.
Interea meritis celebranda eſt laudibus illa
Quæ pars tam ſæuis ſe gentibus obijcit. aut quid
Deniq; venturum Turca victore putaris?
Sanè equidem Europæ ſeruata ob mœnia genti
Sis Venetæ ſtudijs votoq; obnoxius. illam
Si quæ dura pati vellet fortuna: quod ipſum
Auertant ſuperi, & meliori hanc omine firment:
Quid tandem eueniat Chriſtum profitentibus oris,
Quid miſeræ Italiæ, quid Gallis deniq;: quidqúe his
Vna etiam populis, liquidi qui littora Rheni
Et turbata colunt multorum cædibus arua?
At ſopor inuaſit iam latè pectora. Quantum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hæc Venetum ſaluis Reſpublica ciuibus vna
Duret, & hoſtiles firma rate preſſerit ignes:
Tantum tuta putes Europæ mœnia, quà ſe
In Notias varijs procurſibus aſſerat vndas
Adriacóſq; ſinus & littora curua ſequatur.
Quod ſi & idem reliquis ſtudium foret, omnia demum
Tuta forent. ſed enim cæcos priuata retardat
Flamma animos, ne quid quæ ſunt communia certent
Aſſerere & pulcros in lucra paciſcier auſus.
Eſſe tamen ſuperos & cœlica numina credas,
Qui fatum meritis meritúmq; laboribus æquant,
Et qua iuſta ſequi ſtudeas virtute tuentur.
Materiem ſed enim non tantum Quercus & Orni
Expediant, Quernis etiamſi prima feratur
Gloria, nec ſimili contendant cætera laude.
Eſculus, Vlmus, Acer, Pinuſq; & Suber, & Ilex
Fraxinus atq; Abies, rigidáq; propagine Cornus
Et fluuijs Alnus gaudens, & vertice Cedrus.
Omnia profuerint certóſq; leguntur in vſus
Materiémq; ferunt, quæ ſeſe ingentibus olim
Commodet auſpicijs ambáſq; expleuerit vrnas.
Quid quòd & haud rectis ſemper datur vſus: inepta
Quæ poterant alijs fortaſſe viderier, iſtic
Præcipuam cernas nonnunquam ducere laudem
Atq; æquata manu ſpectanda in parte locari.
Dij, quantos igitur lignorum pondera vultus
Extulerint? quid enim? nec lingua nec omnibus ora

Vocibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vocibus expedient: varios ita ſingula flexus
Et varias tribuent ventura in munera formas.
Curua, repanda, caua & tumidis extantia nodis
Et breuia & longa, & medio librata ſub ictu,
Ampláq; & exili tenuata in brachia forma.
Tum verò quædam iam pridem aduecta iacere
Vt ſint ſicca iuuet. quædam fortaſſe recenter
Vtile ſit cædi, crudóq; è vulnere raptim
Ferrier ac dolabris virides ſubmittere frondes.
Prӕtereà tempus momentáq; ſeria dicam
Expediat quibus alta ſolo vel ligna reuelli,
Vel quæ cæſa ſient toto iuuet æquore duci.
Omnia non equidem ſunt omnibus æqua. nefaſtus
Iſte dies operi fuerit, quem craſtina faſtum
Lux dabit ac placidum conceptis vſibus addet.
Ergo vbi ſe totos vaga Cynthia firmat in ignes
Aſpirátq; globo, numeriſq; increuit vt omnem
È cœlo vultum reparatáq; lumina pandat:
Cædibus abſtineas rigidæq; ita parce ſecuri:
Vt nihil arborei fœtus, nil ſeminis alti
Concidat, ac terras frondente cacumine tangat.
Materies equidem varijs ea tota ruinis
Expoſita eſt: imo gelidos vbi cortice vermes
Nutriat, ac ſubitò carie putreſcat inani.
Aſtrorum ſiquidem vultus atq; ignea cœli
Lumina, ſubiecti comitantur ſemina mundi
Inferioráq; globus ſupero concedit Olympo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vt totos igitur ſe Luna accendit in ignes,
Et ſibi paulatim rutulum vaga colligit orbem:
Sic incrementis augetur mollibus humor
Et vires è mole capit, medijsq; medullis
Affundit liquidos numeroſo pondere ſuccos.
Eruta ſed totis poſtquam radicibus arbor
Concidit ac longos ſubuecta aptatur in vſus,
Emoritur, totumq; manu ſucciſa calorem
Exuit innatum lethoq́ue fatiſcit inani.
Interea humorem cum nil coquat, improba fœdos
Putredo generat languenti in corpore vermes.
Quorum alij primo ſub cortice motibus errant
Inſcribuntq́ue cauis extremas curſibus oras.
Aſt alij carnem ſubeunt, penitusq́ue ſub imas
Intulerint ſeſe funeſto dente latebras,
Rodendoq́ue vias pariunt & morſibus inſtant
Indomitis. genus hoc varias dat acumine ſtrages
Multipliciq́ue nocet per crebra foramina greſſu.
Quapropter cædenda quidem tibi ligna putabis,
Humida cum minuunt ingentes æquora fluctus
Decreſcuntq́ue ſalo: tumidum cum deſerit orbem
Cynthia & in minimos iterum ſe contrahit ignes.
Nec tantum Lunæ vellantur motibus: omnes
Annorum ſpectato vices. non omnibus idem
Temporis vſus erit. Sunt quæ ſuccidere primo
Vere iuuet: Sunt Autumno quæ rectius acri
Præcipitanda putes pariterq́ue aptanda ſecuri.

Quæ

Quæ laribus ſtatuas firmiſq́; immittere tectis,
Si primo ſub flore cadant, cum ſe ardua gemmis
Induit ac folijs turgeſcit inanibus arbos:
Deteriora quidem fuerint fortaſsè: quòd omnes
Auxerit humor aquas: ſubtuſq́; latentia ſeſe
Inſinuent lymphis ſuccosq́ue in viſcera mergant.
Aſt impacta iugis domibuſq́; inſerta, madentes
Quò non diſtillans infundat pluuia guttas:
Sed fumo potius ſiccisq́ue obnoxia ventis
Duritiem latè poterint amplexa videri:
Hæc culpanda quidem non ſunt tibi ligna: coirint
Utiliter partemq́; operis ſine clade tuentur.
At quæcunq; ſalo grauibusq́ue aptanda carinis
Materies velletur agris, vt cæſa Liburnas
Augeat, ac tumidis ſua robora fluctibus addat:
Hanc tibi non itidem capiendam Vere putabis
Sternendamq́ue ſolo, tenui cum viſcere gemmas
Forſitan extrudat ſuccóq; fouente redundet.
Sed poſt Autumnum, cum non ſua germina tantum
Exuit: at totos percoxit turgida fructus
Maturoq́; dedit ſpectari ſemina ventre.
Quin vbi iam vires digeſtaq́; pabula rurſus
Sumpſit, & à ſolido reparat ſua robora partu:
Montibus exquiras (quid enim? cum vallibus imis
Quæ venit, vmbroſis aut ſe regionibus abdit
Aut fluuios iuxta venturos ſurgit in vſus:
Et valeat minus, & minus vtilitate petatur.)

Arduus, & toto prenſam conamine vellas,
Auulſamq; ſolo rigida quadrare ſecuri
Et ſolidos ferri properes ſub acumine ramos
Tollere, nec duris ceſſes dare vulnera nodis:
Ut tandem æquato laterum velut ordine conſtet
Utilitas ligno, menſuraq; certa futuros
Iam prodat numeros ſperatáq; commoda monſtret.
Ergo vbi nox lucem parili ſubuecta bilance
Aequat, & Arcturo Phœbus tegit aſtra nitenti,
Cumq; ita paulatim progreſſus vtrinq; Coronas
Iam medius claro rutulantes lumine cernit:
Cædendum robur, quæq; vſibus inclyta magnis
Ligna dari cupias: pelagiq; ad littora, denſo
Cum iam terra gelu niuiúmq; algore tegatur,
Urgenda & forti res impellenda caballo eſt.
Ut tibi cum glacies exceſſit ab æquore, præſto
Materies congeſta ſiet, quam nauibus inde
Exceptam tutis prudens naualibus addas,
Intuleriſq; locis: celeres vbi dextra Liburnas
Erigit ac firmas molitur acumine puppes.
At ſi nec pontus, nec te æquoris vnda retardet,
Cum proprios intra ceu rura domeſtica fines
Materies legitur: cùm primum cæſa recumbit
Strata ſolo, da ferre boues, da ferre caballos
Et bigis vrgere leues in pondera currus,
Subijciaſq; trahas, operáſq; impellere mandes.
Aequatis ſiquidem niuibus via lubrica promptas

Adiuuat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Adiuuat vna manus. nec dici poſſe putabis
Momenti quantum glacies ferat. illa per omnes
Expediet tibi pondus aquas, per flumina perq́;
Duratos algore lacus, per ſtagna per amnes
Perq́; paludoſas, ſi ſic ferat vſus, arenas.
Hæc igitur tantis nequicquam occaſio rebus
Prætereunda ſiet. vigili tua commoda mente
Exequere, & magnis, quantum licet, actibus inſta.
Quòd ſi fortè tibi ſuccisis demere libros
Arboribus curæ eſt, libeatq́; ita cortice prorſus
Detracto nudos æquare ſecuribus artus:
Auratis ſpectes Aries cum cornibus annum
Inferat, ac primos huc vertat Apollinis ignes.
Tum certè incumbas operi: quòd Vere redundet
Succus, & haud tenues ſub cortice fouerit vndas.
Nam ſudore quidem minimo tum carpere librum
Ut te poſſe putes, ita poſtea forſitan ipſum
Si conere, parum videas ſuccedere: cum ſe
Fructibus inſinuat, trahitúrq́; in germina ſuccus.
Mox etenim ſolidæ lignorum blandula carni
Incumbit tunica, & lento ceu glutine ſtringit,
Siccior ipſa etiam & toto ſpoliata liquore,
Ut ſua non duci per fila æqualia poſsit.
Poſtremò non ligna tuis accommoda tantum
Rebus habenda ſcias. naualia, plura requirunt
Unà etiam & varijs opplerier vſibus ardent.
Sicut enim arboreas interdum exſcindere tota

E' radice comas lignoq; aptare iuberis:
Sic tibi nonnunquam pingui quod ab vbere fluxit
Syluarum, aut medijs extrudit flamma medullis
Percoxitqúe rogo, ſcrobibusqúe latentibus hæret:
Ante quidem multò capias, operiqúe futuro
Materiem primis quæ ſeruiat vſibus abdas.
Arboribus reſinæ viſcoſaq; flumina ſudant
Cum tumidis cortex in aperta foramina rimis
Finditur, & puros natura vrgente liquores
Diuinasqúe vndas, & odora cadentia fundit.
Aſt flamma ſubigente picem collegeris: vt ſe
Materies ſoluit, pinuqúe ardente per æſtum
Liquitur, ac ductis impleuerit antra cauernis.
Hinc Lini ſeges & glomeratæ Canabis ingens
Copia maturo ſuccedat parta labore:
Quæ pluuijs exempta locis in iuſta quieſcat
Tempora, & occluſis ſeruatam poſtibus abde.
Non tibi luminibus maior ſit cura tuendis
Arcendóue malo: niuei quàm ſtamina lini
Eſſe tegenda putes clauſtroqúe oneranda tenaci.
Namque ea cum varijs deſeruiat vſibus, vltrò
Expetit ipſa quidem tacito ſub vecte recondi,
Et latuiſſe feris rapidasqúe eludere dextras.
Seu tenui iaceant diducta ea ſtamina filo:
Seu pertexta fient: ſeu non dum mollia ſenſit
Licia materies, vbi corpore cruda recenti
Quo vel cunque voces vltro comitata ſequatur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ultima ſit chalybem primis induſtria curis
Et labor haud tenuis ſolidum conquirere ferrum:
Hæc tibi non vili res eſt agitanda ſopore
Ingenioqúe leui. melius deſiſtere cœptis,
Quàm ſine veliuolas ferro tentare carinas.
Optima materies & duri copia ferri
E` Ponti quondam venit regionibus. inde
Trinacrijs ductum venis, vt parte mereri
Hanc aliqua laudem vicinaqúe præmia poſſit:
Sic alibi præſtans etiam telluris ab imo
Sublegitur fundo validisqúe laboribus exit.
Norica quin etiam fœcundas prædia venas
Solertésque habuere viros, cum prima per omnes
Auguſtus vulgat Romana palatia gentes,
Et regno claros ſors extulit alta Quirites.
Seclorum ſpacijs minor eſt prouentus. abundat
Nunc varijs etiam Germania lata metallis
Et rigidum non vna coquit prouincia ferrum.
Quin alijs etiam populis vberrima ſeſe
Vena aperit lætosqúe infert in præmia fructus.
Omnibus ante tamen cellit ditiſſima regnis
Suetia: quæ duris perflata Aquilonibus Arcton
Spectat, & excelſo Boream de vertice prendit.
Hæc equidem egregijs cum terra & rebus & vſu
Multiplici exundet: cum gentibus ardua virtus
Atq; humana ſiet: nec mens ſit languida priſcos
Maiorum ritus libertatemqúe tueri:

Sanè equidem argento non tantum diues, at ipſo
Unà etiam ferro multis iam profuit: atq; hoc
Europæ varias partitur munus in vrbes.
Hìc Vermlandiacis Chalybem fornacibus alta
Percoctum virtute parant. Nec tota cauernis
Materies trahitur ſuperáſq; leuatur in auras.
Quid mirere? lacu contis excepta biſulcis
Et fundo ſublecta coit. mox ignibus ardet
Extergitq́; feces, puroſq; aſpirat in artus:
Unde quidem conſtet diducti lamina ferri
Et maſſa impenſis æquata laboribus exit.
  Nec tu materiam tantum tibi contrahe, puppim
Qua fieri mandes totámq; expleueris aluum.
Res alias etiam, velut inſtrumenta neceſſe eſt
Ante quidem inferri tacitis naualibus, vt cum
Aggrediare opus & dryocho fundamina tendas,
Iam præſtò tibi cuncta ſient. hucruncina, ſerræ
Et dolabræ, & terebella, ſed & Cantherius, & quæ
Artificum laſſat redeuntes aſcia dextras.
Quin vectes etiam & cacabus, cos, carbo ſecuríſq;
Et traha, & vrgendis perplurima vaſcula lymphis,
Impulſúq; grauem qui reddit malleus ictum,
Pertinet: addideris rigida cum forcipe limam,
Circinum, & æquando rectum quæ explorat, amuſſim.
Deniq; quodcunq; eſt quo non tardarier ipſas
Poſſe putes operas, magno conamine prudens
Intuleris. non ſemper habent quibus vtier ipſi

Artificis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Artifices fortaſſe queant. naualia multo
Ex vſu conſtent, & agendis iuſta miniſtrent.
Hæc igitur multò ante quidem congeſta reponas,
Sternere quàm tumidæ ſatagas fundamina puppi,
Aut ratibus moliri operas: rigidáue ſecuri
Aſſula lenta cadat ſonitúq; impleuerit auras.
Inſulſi eſt hominis tum primùm, vbi plurima toto
Machina ſuccreuit tabulasq; attollit Olympo,
Quærere, quo iuſta celeratam mole carinam
Perficias. animo grauis eſt ea cura, relinqui
Quæ tibi cœpta ſient mediósq; vrgentur in actus.
Quamuis multi etiam quæ ſunt vtenda videri
Sedulitate quidem poterint auxiſſe: quòd inde
Ex alijs conſcripta locis in iuſta putarint
Tempora non dubijs tranſmiſſum euentibus iri.
Tu tamen hac vnquam non te ratione moueri
Conſilióue ſinas: vt non tibi protinus omnis
Materies conuecta ſiet, cum prima Liburnis
Admouet hora manus, operumq; exordia tentas.
Lactatos vana multos ſpe vidimus, altos
Perdere conatus, naualia claudere: molem
Prouectam trabibus pluuioſo linquere cœlo,
Et ſua damna pati remoramq; inferre tabellis.
Multa locus: ſed plura fides neglecta futuris
Vſibus auertit. non ventus ſemper & vndæ
Fœlici aſpirant noſtra in molimina curſu.
Deniq; qui incertis confidere vocibus audet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ut temerè ſapiat, ſic certa negocia vanis
Turbabit ſtudÿs animoq́ue errabit inani.

C. Eraſmi Michaelii Læti,

DE RE NAVTICA
LIBER II.

Ignis.

HActenus auriferæ contraximus ardua puppi
Robora: & haud tenui conuecta eſt tota labore
Materies, longè antè quidem quàm tu te carinam
Tendis, & egregios canthelia ducis in orſus.
Hæc, veluti mater creſcentem blandula natum
Viſceribus nutrit lepidosq́ue abſoluit in artus:
Sic ſua venturis exordia prima liburnis
Sanguineosq́ue halitus ſolidæq́ue volumina carnis
Donat, & in vaſtum confercit edolia ventrem.
Nunc te forma Patrem, ſtudiumq́ue ac munera docti
Artificis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Artificis præclara canam: quo principe læues
Et coeant tabulæ, & rimis aptentur hiulcis
Conſiſtátq; manu tandem ſapiente Carina.
Nec tamen vlla prior fuerit tibi pectore cura:
Quàm temerè tentaſſe nihil. quapropter & vnum
Id moneo, & cunctos iterumq; iterumq; monebo,
Non tantas animo curas, non tanta decere
Te capere officia, & tam grandia in acta moueri
Ni tibi tota graues ſtimularint pectora cauſæ,
Et vocet vtilitas tanta in certamina mentem.
Sceuola ſcit, patriæ quem plurima commoda terræ
Vtilitasq; manus calidis inferre coëgit
Et torrere focis. humero maiora ſubire
Pondera, cum minimè tam grandia ferre neceſſe eſt,
Vt fatuo res digna viro: ſic tota ſubinde
Cladibus exſpirat ſubitisq; doloribus exit.
Ergo niſi vtilitas & honeſti cauſa laboris
Mouerit, impenſas rerum vitaueris, & te
Contrahe: ne ſeros pariant tibi facta dolores
Pœniteátq; operis triſtíq; agitabere luctu.
At ſi certa animum ratio ferit: iſta neceſſe
Vt tibi ſit monumenta ſequi, tabulasq; paratas
Iungere & à primo diducere fonte Liburnas:
Quod deceat feciſſe virum, ſudoribus inſta
Præcipuis: reliquíq; nihil tibi feceris omnes
Ad numeros operum. tam ſit tibi pectoris ardor
Explendo ſummus, quàm non temerarius iſta

Conſectando fuit. vel fortis vtroq; vel hocce
Languidior, ſi qua ceſſandum eſt parte, videri
Tute velis. nihil eſt tentaſſe ingentia, ſi non
Perficias animo totoſq; expleueris auſus.
Quare vbi conſilijs res eſt prudentibus acta,
Et ſimul vtilitas tibi ſuaſerit, ocius omnem
Experiare manum cedatq; ignauia factis,
Et labor & meritæ ſtimulent tibi pectora laudes.
Principio conere virum, cui plurima circum
Pectora conſilij ratio eſt: cuiq; aurea virtus
Imperat ac celebri cumulatur gloria facto:
Propoſitis adhibere tuis: cui cuncta Magiſtro
Credere & hæc operum mandare impendia poſsis.
Naupegum fortaſſe voces: ſi nomina Graijs
Vſurpata, iuuet Latijs inferre Camœnis.
Hunc ætate legas equidem non prorſus inepta
Effœtiſq; annis, gelido cum membra ſopori
Rectius aſpirent ſenióq; agitentur inani:
(Conſilijs niſi quid fortaſſe adhibere Magiſtrum
Hunc libeat, cui res eſt cognita prorſus, & omnes
In formam Veneres longa ob certamina conſtant.)
Nec iuuenem adducas, primis cui flaua cadebat
Barba reſecta genis. nihil eſt grauitatis in illo
Conſilijq; nihil: rerum experientia languet,
Atq; animum luſus alienáq; plurima voluunt.
Hinc ingrata manus operi: cum tædia multis
Præcipitant animum ſtudia in contraria curis

Abdu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Abducúntq; viro mentem, cùm pocla ſequatur
Obrutus, aut Veneri tumidos indulſerit ignes.
Quo quantum videas rem deſtituente moueri,
Certior ex vſu tandem iactura probarit.
Namq; operas ſibi linquier, aut committere tantas
Res alijs, ſanè multo eſt via regia damno,
Quæ feret haud dubiæ fœcunda exordia cladi.
Eſt alius medijs quem curſibus extulit ætas,
Quémq; animi vigor & ſtudijs inſcripta ſecundis
Cura beat: quem non ſolertem ganea primis
Floribus obtriuit nec inepto ſtrauit amori.
Sed cum præcipuis operum feruoribus annos
Traxerit, ingenio claros atq; arte Magiſtros
Sectatus: vero ſimile eſt didiciſſe, quod altæ
Intulerit laudi factíſq; ſequentibus addat.
Sobrietas animuſq; vigil: qui mente ſagaci
Omnia perquirat, conſideret, inferat, æquet
Proſpiciátq; prius, quàm res agitanda ſub ipſas
Poſcitur eſſe manus. grauitas, conſtantia, ſumpti
Cura operis, nuſquamq; oculos excludere facto.
Cuiq; animo lubeat molirier alta, pariq;
Sedulitate manus ſtudio miſcere fideli,
Et totas vrgere operas: cui cognita puppis
Venturæ facies, proprijsq; ſit obuia formis.
Integra quin ſua membra viro ſpectentur, & artus
Haud mutili. nil nec plantis deceſſit & altis
Luminibus, rigidæ nec ſunt imbellia dextræ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Officia, & certæ non deſunt robora menti.
Huic opus & rerum facies quæcunq; Magiſtro
Pareat, ad cuius coaleſcant omnia nutum,
Conſiſtátq; labos: famulis qui mandet, & vnus
Deniq; ſurgenti meditetur cuncta carinæ.
Tu ſaltem videas ne quid, cum prima locentur
Fundamenta rati, ſubitíſue caloribus erres
Conſilióue malo: ne qua tibi forma modusúe
Poſtea diſpliceat. leuis incipientibus error
Ingentes peperit ventura in facta ruinas.
Aſt Prudentis erit veros quod proſit in vſus
Eligere, & prima certos ab origine fines
Ceu ſua Naupego deſcribere limina poſſe.
Ne tibi cum Celox opus eſt, incautius Holcas
Surgat, & excedant proprias impendia metas.
Tum verò auxilia & gnaras in talia dextras
Munera conducto iungáſq; feráſq; Magiſtro:
Quo ſua præſidio perfecerit. exue mentem
Quæ putet vnius tantum molimine grandes
In cœlum moles excelſáq; culmina tolli.
Res operas poſcit. deſtruxerit vnus, at vnus
Haud itidem tabulis nexus induxerit, & quæ
Surgenti impingas non firmet vincla Liburnæ.
Excellat licet ingenio ſolérſq; laboret:
Non tamen omnibus is iam ſufficit vſibus. vnum
Interdum tempus plures diuerſa requirit
In ſtudia artifices manuumq; iuuamina poſcit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nec tamen excedas numero. ceu maxima ſuadet
Vtilitás, ſic tute operas conduxeris. Inde
Cura ſit, vt faciles animíſq; manúq; valentes
Ingenióq; bonos habeant Naualia Fabros.
Omnia qui ferro quæ ſunt agitanda receptis
Perficiant monitis delatáq; iuſſa ſequantur,
Vulcano ſimiles: chalybémq; & ferrea maſſæ
Pondera qui vaſtis fornacibus eruta verſent.
Hæc equidem pars penè tuæ ſit maxima curæ,
Iudicio quæ lecta ſiet. non omnis in iſtud
Venerit officium tenui faber auctus ab vſu,
Quiq; diu magnos non pertulit acrior ignes.
Non etenim ſatis eſt cudendo plurima ferro
Brachia laſſari. Sit cura ea prima ſalusq;
Omnibus ante quidem ponenda laboribus, vt nil
Infido prorſus coaleſcat forcipe: nullos
Haud ſatis inducta ceu carne relinquat hiatus,
Et penitus falſo tabeſcat malleus ictu.
Dij quantum ſceleris: quanta eſt iniuria ferrum
Languidius toto vel mergier igne, vel acri
Non exerceri ſua per veſtigia pulſu.
Credibile eſt ſuperis iram ſpirantibus omnem
Sæpè animis curam ſic demum auferrier: vt quod
Ex arte efficerent nihil id reſpondeat arti,
Nec ferat ad iuſtas æquata ſacomata lances.
Et mihi neſcio quid maius fortaſſe videtur
Hîc vitij: ferro ſi deſint robora, quàm ſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Peccatur lignis: vbi vel neglecta, vel ipſis
Uſibus abrupta, aut falsò commiſſa, ſecuri
Sic emendari, aut ſarcirier omnia poſſunt:
Ut minus & damni intulerint, nec pectora curis
Afficiant. ſed enim ſimilis non linea ferrum
Admouet. id quantum diuerſa ad iuſſa ſequatur
Aptetúrq; locis, ſolidum ſiet. omnis vbiq;
Rima abſit, claróq; ſonum det acumine nam quid?
Sæpius hæc equidem ratio neglecta carinas
Perdidit, ac medio laxauit in æquore puppes.
Adijcias igitur curamqúe & pectora fabris:
Qui ſi non prorſus formis tibi cuncta politis
Expediant: operam ſaltem hanc impendere certent,
Sic ſtudeant rebus, ne rimas ducere ferrum
Aut ſpirare velint. incudibus acta rigeſcat
Lenis, & in ſolidum coeat noua lamina ventrem.
Hîc clauus vario diductus acumine multos
Diuerſosqúe capit per adeſa foramina vultus:
Et recipit celeres tenuata cuſpide formas.
Nec dictu facile eſt, quot res ea ſola figuras
Induat. obtuſus, procerus, acutus & aſper,
Et breuis, & tenuis, longusqúe, adpreſſus & acri
Stipite protenſus: detortus, rectus, vtrinque
Dentatus, facili ne quid veſtigia curſu
Ponè legat. tum quadrifido velut ordine quidam
Exierint, teretes alius concreſcit in orbes
Aequatumq; ſinit decurrere in vltima ferrum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

His caput inſertum eſt, his eſt ceruice reuulſa
Aut demptum, aut prorſus tenui ſub vertice preſſum:
Ut ſubeant totas ſua per veſtigia partes,
Et nihil humentes ſpectandum proſtet in auras.
Nec clauos tantum ſed tortas maſſa cathenas
Vincláq; nexilibus fundat coeuntia nodis.
Res ea non minimos aliquando paratur in vſus
Et tua non dubijs naualia fructibus auget.
Id faber inſigni delatum in lumina facto
Exploret: ne quid vel hiando peccet, & altas
Concipiat rimas vitiumqúe foramine ducat.
Vel minus æquato prendat ſe lamina flexu
Decedátue modus nexúq; hereſcat inani.
Artificis certè eſt obliquæ recta cathenæ
Vincula moliri, conſertósq; ignibus orbes
Iungere & in numeros formasqúe ita voluere ſpiras:
Ne tempeſtatum cùm vi mare ſæuiat, ingens
Turbo per inſertos abrumpat vincula nexus,
Deijciatqúe freto laxétue impune rudentes.
Tandem opus accedat, quo non præſtantius omni
Expediet faber ingenio dextraqúe ſequatur:
Nec cui maiores meditentur brachia pulſus.
Hæc cura, hic labor eſt: huc ſeſe incudibus omnis
Inferat ac totos induſtria mouerit ignes.
Anchora formanda eſt celeri tutela Carinæ
Præſidiumqúe rati. manibus nunc feruor apertis
Inſeritur, validóq; igneſcit malleus ictu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Dij quantum curæ eſt animis, quantumq; laborum
Artubus inſurgit. nunc nunc properate, faceſſat
Mollities rigidoq; parent ſe brachia ferro,
Et matutinis veniant ad verbera dextris:
Inſiſtántq; operi, maſſámq; per omnia cogant
Interualla nouis penitus concedere formis.
At prius hanc rigida quam tentes forcipe, certis
Machina ſit ſuſpenſa modis: quæ tota camino
Inferat, ac tenui verſarit pondera motu.
Mox oculos adhibe, & validos intendito neruos
Exercéq; manus. coeat maſſa omnis in vnum,
In ſolidum coeat pulſuq́ue agitetur & igne.
Ille per alternos ſpiramina mutua ventos
Excitet, ac crebros cumularit follibus ignes.
Carbones alter ſubigat. ſtat fixus in altam
Ipſe Magiſter opem. poſtquam æs candeſcit ab igne:
Machina deuoluit poſitíſq; incudibus aptat.
Accelerant operæ. faciles ſe brachia tollunt
In numeros glomerántq; manus, & cædibus inſtant
Præcipites. latè ſpirantes ignea fundit
Maſſa faces, circúmq; micans ſe flamma per omnes
Egerit articulos & tecta caloribus implet.
Follibus incumbunt iterum. fornacibus altè
Ingeritur rurſus ferrum: ſuſpenſa reducit
Machina, & hos facili ſuperare dat arte labores:
Aptaturq; oculus, ſummóq; è gutture dentes
Explicat ac duplices in acumina diuidit vncos.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Poſt oculo inſeritur geminato circulus vſu:
Seu quia transferri ſic mollius anchora poßit,
Seu rigidum tereti quòd prendat ab orbe camelum
Detineátq; rates tutasq; det eſſe Carinas.
Ut ſatis extremo ſubijt calor igne, relatam
Malleus exæquat donec ſuprema peractum
Dextra opus abſoluat plenísq; ſtet Anchora formis.
Perfectam gemini, ceu lesbia regula, ſenſus
Explorant. quid enim? vel viſus in omnia mergit
Se loca & in quaſuis circumfert lumina partès,
Et nihil obſcurè coeuntia corpora luſtrat.
Vel certè auditus, numeroſo malleus ictu
Cum ſonet ac crebros iterauerit ordine pulſus,
Haud dubio obſeruat ſolidum ſyſtemate ventrem
Deprendítq; dolos, & hiantia vulnera prodit.
Quod ſi tinnitu aut facili ſtridore per auras
Increpitet latóq; ſonus clangore feratur:
Denſum opus id plerunq; ſcias, nec inania ſubtus
Eſſe putes. ſonitu ſed ſi grauis exit ad aures
Impetus obtuſo ſteriliq; vigore fatiſcit
Nec ferit arrectos gracili ſub acumine ſenſus:
Protinus hæc ſuſpecta ſiet. da lumina circum
Ferrier, & totos rimabere ſedulus orbes.
Deprenſum ſanet rigidis induſtria palmis
Artificisq; manus. calidis fornacibus abde
Rurſus, & incudi quantum potes, inſere ferrum.
Hæc ſumma eſt operis prima quod origine fabri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Expediant. nam quod perfectæ poſtea naui
Intuleris, ceu ſunt tormenta enormia, Corui,
Lancea & harpyiæ gladiusque, & cætera Marti
Arma dicata fero, belliſq; æquata gerendis:
Ex alia prorſus veniunt ratione, nec huius
Eſſe etiam generis, non huc ſpectare putabis,
Nec præſtare truces naualia læta Colubros.
Hoc ſibi nam poſcunt armamentaria munus
Quæ ratibus vitam, quæ pacem gentibus augent.
Quanquam alijs aliud populis placet. arbitror iſtud
Ex vſu pendere boni: vt quod terra locuſq;
Et gentis ratio poterit ſuaſiſſe videri,
Id primum ſit cuique. animo ſua commoda cernunt
Eſt quibus interdum rebus parere neceſſe,
Et fieri quæ poſſe putant, ea poſſe laborent.
Interea ſtratæ moles impoſta Carinæ
Excreſcit numero: tabulaſq; adiungere coſtis
Naupegus properat firmiſq; aſtringere vallis.
Sed ratio varia eſt vterum compingere, quidam
Claudier aſſeribus primùm fundamina mandant,
Eq; ſuo ad ſummum perducunt robora fundo.
Diuerſum quidam ſed iter ſectantur: & inde
A ſummis primùm ſubiectam partibus aluum
Exorſi, rerum contraria vincla ſequuntur,
Deſcenditq; latus circumq; immane latebras
Pangitur, & prono ſubeunt parablemata curſu.
Sed prior illa quidem ratio mage congruit, vltrò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quòd ſubigat tabulas & ſe ſuſtentet euntem
Aſpirétq; leui faſtigia in vltima motu.
At duplici iungit Naupegus robora forma,
Connectítq; ſuis coëuntia tergora coſtis.
Aut etenim clauis impacta tenacibus hæret
Materies lateri, totóq; exercita ferro
Ligna per inſertos ſubeunt aptiſſima limbos:
Cum noua tranſactæ ceu cuſpidis ora retundit
Malleus. & gemino denſatur lamina morſu.
Aut planè æquato ſociandi margine ligni
Aptantur tabulæ: quas non tibi ferreus vrget
Clauus, & in totas ſubigit minor iſte Carinas:
Sed grauibus ſanè Hippelis blitróq; rigenti
Tegmina coſtarum coeunt: teretemqúe per aluum
Inſurgit moles firmóq; ſtat ardua neruo.
Hæc equidem longè eſt ratio tutiſſima: ne quid
Interea formæ memorem decus. ardet in auro
Iaſpis, & vt celeres in ſe conuertit ocellos
Aptatus digitis Adamas viſumqúe moratur:
Sic nihil hoc melius ſpectatur in æquore, nil quod
Pulchrius eſſe putes: quàm cum perfecta ſuiſq;
Partibus aucta ratis vitreas illabitur vndas,
Et ſua per tenues diffundit carbaſa ventos.
Non ita virginei diducta monilia faſtus,
Non ebur & collo quæ iuncta eſt gemma nitenti,
Aut tantum decus, aut tantæ dant nomina laudi:
Inſtructis quantum capiat mare puppibus, vtq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aureus æthereos illuſtrat Cynthius orbes,
Cloria ſic pelago ratibus venit. inclyta ponto
Machina ſuccedit, patrijsq́; extantia terris
Induit ac magno deducit pondera fructu.
Nauibus imprimis ſed danda eſt forma. vetuſtas
Inde quidem in totas traduxit nomina puppes
Vt pro diuerſa diuerſas mole vocarit.
Et formam certè variauerit vſus: vt illum
Vltimus haud dubio monſtrauerit ordine finis
Proq́; modo celeri veniet ſua forma Liburnæ.
At verò à noſtris multum variaſſe carinis
Maiorúmq; rates & puppibus addita priſcis
Inſtrumenta putes. ætas fuit iſta beatis
Auctior ingenijs, cum virtus crebrior eſſet
Et minor efferret placidas petulantia mentes.
Molitíq; homines ingentia pene: Sed illa
Simplicibus tantum cumulabant robora formis,
Nec ſibi tam vario cataſtromata pangere nexu.
Hærebant tabulæ tabulis, vteróq; ſubinde
Immenſo vaſtam iunxit labor arduus aluum.
At tranſtris tantum remiſq́; ſonantibus acta
Res ea multa fuit. celeres ibi palmula curſus
Impulit, ac totas ſubigebant brachia claſſes.
Poſtquàm ſuccreuit cupidæ ſeges effera vitæ
Inuaſitq́; lues & amor ſceleratus habendi
Pectora: cum ſtudijs audacia creuit: & omnes
Expleuit numeros, docuitq́; ingentibus & re

Multiplici

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Multiplici inſtructis pontum ſulcare carinis,
Et procul enormi decurrere in æquora puppe.
Et tamen iſta etiam meritas induſtria laudes
Aſſequitur, vitiumqúe decus virtutibus addit.
Artificis certè eſt animiqúe in multa feracis
Hoc opus ingenio complectier, inqúe decoram
Iungere res tantas & ſtringere nexibus aluum.
Id ſaltem Naupegus agat, ne incautus opellas
Miſceat ac dubio confundat fine Liburnas.
Hæc igitur primis iam meta laboribus ipſo
Protinus inijcio mentem regat vna: futuras
Oceanóne velis fluuiíſue aptare carinas,
Et tua per tenues deduci carbaſa fluctus.
Quòd maris haud ſimili tentanda volumina remo
Et ſubigenda putes. leuis eſt quæ ſubruit amnes
Quæq́; breues aditu ſubradit palmula ripas.
At maris & lati ſunt ardua regna profundi
Atq; ingens pelago creſcit labor: omnibus illic
Ingenijs opus eſt animiſq́; & viribus. iſtos
Haud facili Nereus ſtudio dat carpere flores,
Atq; offenſa parum tibi tonſis æquora cedunt.
Quis duram illius ſortem, quis pondera regni
Explicet? Oceano prouincia ceſſit in omnes
Durior euentus. re vera eſt diues & amplas
Accumulat Neptunus opes, cornuq́; beato
Inſerit humanis ditiſſima munera regnis.
Sed tamen ingenti res eſt coniuncta periclo

Ingentéſq; parit noſtra hæc in pectora curas.
Vna ſalus miſeris plerunq; aſpirat, aperto
Si ſua vela mari iuſtis propaſſa Carinis
Pandere, & æquatis ſatagant dare lintea ventis.
Mens igitur primo formam meditetur ab orſu
Certáq; venturam prodant diagrammata puppim.
Omnibus haud eadem ratio eſt: validiſſima bellis
Seruiat, ac denſa conſtent ea robora Quercu.
Quæ paci coeant & honeſtæ ſacra quieti,
Haud ſimili laterum cumulentur tota rigore
Nec vaſto tantos includant vbere montes.
Quæ res vna tamen monitus capit. aut quis in oras
Longinquas ſoluat, niſi ſit firmiſſima puppi
Structura & grauibus rigeant cataſtromata vallis?
Nil latus hîc imbelle iuuat. ſint fortia ſæuos
Quæ fluctus tumida ſub tempeſtate repellant
Seruarintq; viros pretiumqúe laboribus addant.
Quin cum iam Pacis ſit nomen inutile: poſtquam
Graſſari liceat. cum ſeſe impune proterui
Effundant turbentqúe bonos, & cædibus omnes
Afficiant populos infeſtáq; & æquora reddant:
Quis culpet, ratibus ſi tu fortaſſe vehare,
In quibus & laterum rigor eſt, & idonea bellis
Inſtrumenta, tuos firmant tibi deniq; curſus:
Vt tutos capias quò tendis lintea portus.
Hæc Naupegi igitur ſtudium cum cauſa fidemq;
Poſtulat: is quantum meditari pectore poſſit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

(Si fieri pars prima velit dominúsq; probarit)
Huc ferat, vt iuſtæ coaleſcant viſcera formæ
Seqúe venuſto etiam comprendant mutua nexu.
Nam neque præſtanti formam ſine robore laudes:
Nec ſine concinna memorentur robora forma.
Infido coeat ſi res præclara Magiſtro,
Manſerit vna quidem fortaſsis gratia, rerum
Commoditas certè perijt: cum quaſſa profundo
Et fluctus experta bibat iam ſutilis vndas.
Hærentésq; leui diffringat acumine partes.
At ſi iungantur valido latera ardua morſu,
Amplexúq; ratem commiſsáq; brachia denſent:
Si Venus & formis abſit decor: improba tantæ
Culmina ſtructuræ dilapſaque præmia dicas.
Hanc igitur vigili rationem mente Neorgus
Principiò ſpectet. tum verò vbi ſedula menti
Dextera ſuccedat, rémq; aggrediatur in auras
Promere & ingenij tacitas aperire latebras:
Nitatur ſtudijs animo concepta per omnes
Expreſsiſſe gradus: quantúmq; inſiſtat agendo,
Tantum exæquatæ diducat ſingula formæ
Inſudétq; rati conceptáq; ſemina pandat.
Protinus vt teneræ ſtatuit fundamina puppi
Aptauítq; baſim: laterúmq; intexere coſtas
Cœpit & haud dubijs numeros extendere ſpinis:
Diſpiceat certè tutas vbi ponere flammas
Poſsit & vtendam ſarmentis paſcere lucem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Res ea nam certis mox ſeruiet vſibus: vt quo
Præſidio tabulas eduráq; robora quercus
Sub quæcunq; voces inflectere commoda poſſis.
Nam ratibus magnis & grandi tanta carinæ
Tegmina quis iungat? non vis ea viribus vna
Perficitur. quid enim? certa eſt opus arte pariq;
Ingenio: vt quò te non vis tua duxerit, iſtuc
Te tua non dubio ſolertia pectore firmet.
Sarmentis igitur nitidum crepitantibus ignem
Præſtò habeas: cui ceu ſacro tua robora mandes
Admoueásq; foco, tabulásq; ſecuribus ante
Aequatas operi flammis aduoluere certes
Et verſare manu calidísq; agitare fauillis
Tantiſper, totos calor vt penetrarit in artus,
Internósq; ſinus occultáq; viſcera tangat
Innocuus, nullóq; voret feruore medullas.
Miraris factum? tremulum lenteſcit ad ignem
Robur, vt in certos deduci poſtea flexus
Aptaríq; queat. molleſcit ab ignibus humor
Et rigidos ponit calido ſpirante lacertos.
Cum veluti panem ſenióq; ſitúq; reſoluunt
Duratum flammæ: tepido ſic igne rigentes
Naupegus ſuccos, & dura latentia mollit.
Ut ſatis impreſſum bibit æqua tabella calorem
Et rigidæ poſuit durata volumina formæ
Inflectíq; poteſt: lateri iungatur: & acri
Protinus in tenuem figatur dente carinam,

Forcipi-

Forcipibus comprenſa citiùs ceu glutine: ne quid
Excedat motu gradibus, poſituq́; vacillet
Fruſtratasq́; diu laſſarit pendula dextras.
Mox celeri deuincta manu cum conſtitit, actor
Incumbat terebris, certoq́; foramina ductu
Naupegus lateri famulos inducere mandet:
Atq; aperire vias, grandes vbi figere clauos
Poſsit, & haud dubijs ea ſtringere robora vallis.
Ardua ſuccedit voto res. æmula magnæ
Incitat ingenium virtutis imago iubetq́;
Et faciles vrgere manus, & plaudere facto.
Creſcit opus: teneramq́; baſim iam longius aſſer
Liquit, & in ſummas ſcandunt parablemata coſtas,
Excreſcunqúe caua ſurgentes mole cauernæ.
Hic proram cingit tabulis: hic culmine puppim
Molitur, ſpeculóq; æquatos inſerit artus
Iuſtáque libratis glomerat ſubtegmina lignis.
Iamq́; adeò vaſtis ſublimem molibus aluum
Plena carina tenet: famuli cum ponè ſequuntur
Malleolis linóque explent & cannabe rimas,
Inſiſtuntqúe operi per hiulca foramina: claudunt
Ambages, quantumqúe patet iunctiſsimus aſſer
Aut diuulſus hiat, ſtupáq; & fune retexto
Infercire ſtudent aditusq́; reſegmine denſant.
Nec minor ex alia iam pridem parte laborum
Materies ſpectatur, vbi æſtuat ignibus ingens
Fortè lebes calidámq; picem flammisq́; ſubactam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Soluit,& ardenti liquefactam verſat aheno.
Peniculis ſiquidem concepta bitumina molli
Spargit adacta manu, tabulaſq́; perungit hiantes:
Coſtarumque ſinus,tacitiſq; patentia rimis
Obruit,ac pingui laterum tegit oſſa liquore.
Ne ſua per tenues infundat regna meatus
Et totas Nereus faciat ſubſidere puppes.
Hic igitur ventrem ac primos perfecta rigores
Ducier in fluctus Pelagóq; immittier optat
Denſa ratis.properant famuli Naupegus in omnes
Quà vocat articulos, & robora tanta viritim
Subijciunt animis dextráſq; ad iuſſa miniſtrant.
Nunc opus ingenio eſt,totáq; opus arte: nec iſtud
Viribus aut ſtulto peragas molimine factum.
Artificis fuerit tam vaſtæ membra Carinæ
Dimouiſſe loco, primíſq; è ſedibus actam
Haud aliquo certè tam grandia corpora damno
Voluere, & hos tantos ripis aduertere montes.
Quemue Hieronis opus Siculiq; ea facta Tyranni
Ignorare putes? ingentem dextra Liburnam
Struxerat, ac tabulis ſolidos induxerat artus
Grandibus inſcriptam ſpacijs vteróq; Chimæram.
At poſtquàm immenſis perfecta laboribus altè
Conſtitit,ac latos aluo pandebat hiatus:
Immotas equidem tam vaſta in pondera moles
Immotóſq; gradus in membra enormia fixit,
Vt duci nuſquam mittiue per æquora poſſet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nil fabricator agit: quanquam conatur ab omni
Hanc vrgere manu, ſtudium ſed inutile perdit:
Una Syracuſij donec ſolertia Vatis
Tollit opus, faciliq; dedit librata moueri
Arte loco, & molli ſe flectere pondera lapſu.
Multa igitur cogi nequeant cum facta beatis
Ingenij cedunt ſtudijs, atque arte magiſtra
In quaſcunq; libet deduxeris omnia partes.
Quare vbi ſuccreuit molésque & forma Carinæ
Ut ducenda ſiet pontóque aptanda liquenti:
Viribus haudquicquam fidas, niſi viribus addas
Ingenium & placida tot curas arte gubernes.
Fiſſilis inijcio remouenda eſt aſſula. fundum
Lubrica fallacem præſtat, ne ponere tutò
Fulcra queas: lateriue pedes ſubtendere poſſis
Aut palos inferre ſolo vinclisq; tueri.
Aſſeribus terram mox ſternas ſubtus, eosq;
Ordine diſponas, rigidam quà ducere puppim
Cura ſit, ac motos proferre ad littora curſus.
Hinc teretes malos lignumq; volubile firmos
Subijcias lapſus. funes res vltima poſcit
Sic tibi conſertos: alijs vt pellere poſſis
Aſt alijs librare, vias dum affectet in æquor
Iam ratis, ac grandi ſuccedat tracta camelo.
Ergo vbi venturo ſunt cuncta parata labori
Concipias animo votum, precibusq; Tonantem
Aethereum cumules cœlumq; iuuamina poſcas.

Mox operi inſiſtat cauto manus æmula ductu
Promoueatq́; ratem. trochlæis ac funibus omne
Conſtat opus certáque manu, quæ cuncta gubernet
Aequaritq; agiles in tranſtra ſequentia gyros.
Unum autem moneo, fidos te adhibere miniſtros,
Res quibus iſta quidem nota eſt: quos ante paratos
Exercet ſimilis tam celſa in munera ductus.
Tum verò inſiſtas operi ſubigasqúe cylindros
Tantiſper, moles dum prima in littora ſeſe
Inclinet. quantóq; magis ſubit æquora, tanto
Sit lapſus minor, & tenues ſubſterne Phalanges:
Impulſus dum prona iuuet, dum machina ſeſe
Subruat, atq; æquo ſufflamine mota ſequatur.
Hîc etenim celeres vrget Naupegus alumnos
Diſpenſatq́; moras, ſignóq; & voce miniſtros
Incitat, ac certo mouet ardua viſcera curſu.
At ratis ingreditur rigidis protracta camelis
Artificique manu. Uoto comitantur in omnes
Turba gradus, plauduntqúe animis & vocibus inſtant.
Donec in extremos iam machina prodijt artus
Aſpirátq; ſalo, priſcisq́; è ſedibus altos
Præcipitat lapſus, me dióque ſtat æquore Puppis.
Dij maris, & liquidi mitiſsima numina Ponti
Nympharumq́; greges, vitreis quæ plurima ludis
Turba vadis, volucriq; teris tua flumina curſu:
Inſolitæ gratare rati. da labier vndis,
Fœliciq; moue deductam luce carinam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Sic aliquis vocat ore deos: plauditq; precanti
Tota corona viro. ſubitas vox ſacra per auras
Inſonat, ac moti ſpectantur in æquore fluctus.
Ipſe etiam valido religatam fune Liburnam
Naupegus ſubigit, rigidámq; ad littora proram
Vertit, & acta manu tonſillis robora firmat,
Gaudenti ſimilis. tanta eſt fiducia cum res
È voto nobis, noſtróſq; aſpirat in vſus.
Ipſè diem niuea præſentem fronte celebrat
Atq; operas aliquo reficit tum munere. certè
Naupegum Dominus vel honeſta veſte, vel auro
Donat, & huic tanto gratatur lætus honori.
Poſtera lux niteat cum rurſus adeſſe miniſtros
Imperet ac ſolitos Naupegus obire labores,
Acceleretqúe manus. illi omnes omnibus inſtant
Officijs, quantumq; dijs opus acre ſecundis
Creſcit & optatos ratis induit ærea vultus:
Tantum ſollicitis operum ſudoribus addunt,
Et glomerare manus ſuperaſqúe recondere coſtas,
Molirique foros tabulataqúe ponere, roſtrum
Tendere & in totam ſua iungere robora puppim.
Quis mihi iam proprijs ſignatam vocibus omnem
Explicet aut rerum formam, muneriſqúe notarit:
Aut loca ſeu trabibus, ſeu lignis æqua dolatis
Prodat, & è molli referat mihi ſingula verſu?
Iam ſtolus, harpa, ptychis, protenſa repagula, ſellæ,
Atq; acroſtolium phalcíſq; oculúſq; parari

Incipit, & certis veniunt pritonæa columnis.
Quæ moles operum iam denique restat in ipſis
Perficienda vndis: partes vbi cura ſupremas
Diuidit, ac toti menſurat iuſta Carinæ.
Terra rudimentis fulcimina ſtrauit: at vndæ
Extremas addunt diuerſo ex ordine formas
Perficiuntq; opus & pleno dant creſcere ductu.
Credibile hîc tamen est, facili coiiſſe Liburnas
Ingenio veterum & pingui creuiſſe Minerua:
Quæ quanquam varijs conſtabant partibus, vnum
His ingens aberat pondus tamen, abſuit illis
Gratia, & immani tormenta furentia pulſu.
Nostra ætas rationem omnem numerosq; modumq;
Auxit, & in varias diduxit pondera claſſes
Inſcripſitq; operas titulis formaq; diremit.
Cumq; ædes vſu ſuperent, ex ædibus istuc
Aemula ſignandis ſtatuuntur nomina rebus,
Eq; domo totas poteris cognoſcere puppes.
Ianua, clauſtra, ſeræ, limen, fastigia, postes,
Tecta, focus, paries, tabulata, coquina, caminus
Sella, penu, furnus, epibathra, exedra, caniſtra,
Aula, feneſtra, thorus, varijsq; cubilia formis,
Carcer, & haud timidis aptata ſedilia nautis.
Aut quæ præterea nunc maxima vincula portant
Iſtæ amplæ vaſtæq; ſtrues, quæ corpore denſo
Hijs coëunt ſeclis & ligna rigentia iungunt.
Vtq; alijs ornant excelſa palatia rebus

Et varias cumulant diuerſa per organa formas:
Sic alioſq; alióſq; rati componere vultus,
Et rerum miros ſatagunt inducere flexus.
Feruet opus manibus celeríque expreſſa ſecuri;
Forma venit, ſummámque tegunt tabulata carinam.
Interea fabri puppimq; & maxima proræ
Vincula dum peragunt laterumq; ſuperflua iuſtis
Exæquant numeris roſtróq; adludere certant:
Omnia Naupegus quæ ſunt externa perurget,
Proceroſq; aptat malos, rectiſsima ligna:
Quæ ſolido primum ſubnixa cacumine denſæ
Robora materiæ compactáque viſcera pandunt:
Excelſas veluti pinus, quæ montibus altis
Increſcunt, ſuperásque inter dant ſerpere nubes,
Et procul extantes mittunt in ſidera ramos.
Hoc genus in malos, diuûm pater atq; hominum rex
Cum primum vaſto ſparſiſſet ſemina mundo
Ire dedit, rapidóſq; inter ſe condere ventos
Et cono inſcriptos efferre per aëra vultus.
Vnde tibi pridem nauali ſtrata recumbat
Materies tantis quæ ſeruiet vſibus, hanc tu
Aequatam dolabris, ne quis tibi nodus ineſſe
Poſsit & antennis faciles decerpere curſus:
Menſuraq; modoq; pares, res vnica mentem
Sollicitet. quid enim? Malum ſi forſitan vna
Expedit arbor, erit tenui tibi cura labore
Hæc perfecta, nihilq; animo cruciabere: quòd res

Ipſa modum formamq́; ferat. natura peregit
Hoc opus ac facili tibi rem deduxit ab vſu.
At ſi plura quidem ceu fœdere ligna neceſſe eſt
Pangier, & plures aſtringi in vincula pinus:
Hîc opus ingenio eſt: vt quod natura negauit,
Sarciat arte manus: multóque è robore malus
Creſcat & in ſolidas coaleſcant plura medullas.
Haud extrema quidem moueat ſolertia mentem
Has iungendi operas. magna eſt & penè ſalutis
Anchora prima rati, valido cum dente meſodma
Adſtrictos malos compactaq́; ligna præhendat.
At grauis hippelus, tum vincula dura tenaci
Has morſu pinus, atque hæc coëuntia ſtringat
Tergora. præcipuo res eſt ea digna labore
Ingenioq́ue pari. malo ſpoliata, per vndas
Iactatur puppis: miſcetq́; doloribus omnem
Siue operam Nautis, ſeu rem rectoribus. atræ
Cum tempeſtates in præceps carbaſa malo
Confracto iaciunt, facie turbare moleſta
Horribilíque ſolent. nihil eſt rationis in illo
Conſilijúe malo. circùm tumidiſſima ſæuis
Fluctibus vnda furit, laſſataq́; corpora verſat.
Hanc igitur Naupegus opem multò ante frementi
Obijciat pelago: robuſtaq́ue vincula malis
Inſerat, ac forti denſet coëuntia morſu.
At malo partes variant: imamq́; vetuſti
Dixerunt Pternam: medios Trachelia curſus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Antennis præbent, ſummis Carcheſia nodo
Protinus aſpirant, corbémq; extantia portant.
Interea reliquis formam Naupegus ab omni
Dum celer arte parat tabuliſq; incinxerit aluum
Pontigradámq; ratem, malóſq; exæquat eunti,
Et latera incumbens trabibus connectit acernis:
Ex alia properans contortos parte camelos
Reſtio molitur: qui quantos anchora funes
Et quantos puppis ſibi flagitet alta rudentes,
Conſilio meditatur, habetq; hanc mente repoſtam
Effigiem & veros ea commoda vertit in vſus.
Prima fides operi: vitijſq; dolóque carere
Materiem. quid enim corrupta cannabe rerum
Efficies, quo tute equidem confidere poſſis
Præſidio, & rapidis opponere robora ventis?
Hanc igitur quoties mercabere, mouerit Argus
Lumina: at ingenium Pallas regat. hîc neq; fratrum
Gratia nec magni flectat te cura parentis,
Ut corrupta quidem quæ ſint, vel emenda putaris
Vel ſtatuas miſeris non fida iuuamina nautis.
Cum tibi materie conſultum eſt, induat omnes
Reſtio conatus, artémq; adhibere magiſtram
Nouerit ac ſolidos glomerare in vincula funes.
Dij quanto ſudore fluas, quantúmq; laborum
Quotq; exantlandos tibi noueris eſſe recurſus
Procurſuſq; ſimul? nihil alta papauera ſomnus
Sparſerit, aut ſegnes ferat hæc ſolertia dextras.

Utq́; tibi valido coëant ſerpente cameli,
A primis meminiſſe velim te ducere filis
Inijcia, ac teneras aptare in maxima proles.
Haud aliquo ſurgunt tibi ſplendida culmina fruct…
Si baſis atque nouæ fundamina molis inani
Infidóq; velut ſtatuantur lubrica fundo.
Prima ſalus operi, ſi prima haud victa labaſcant,
Nec grandi cauſam tribuant ſubſtrata ruinæ.
Ergo vbi detorta iam conſtant cannabe funes
Et ſatis attractas agitabat reſtio cautes:
Protinus inducas piceis ea corpora guttis
Atq; extenta lines, nec enim ſatis arte manuq́;
Conſilióque pari reſtes pertexere tota
Materie fuit ac denſos vrgere camelos:
Ni quoq; prudenter quæ ſunt confecta liquentes
Aduerſus Pelagi ſtudeas munire procellas
Aequoreóſq; dolos: qui, ſi pice lina carerent,
Protinus abruptis miſcerent funibus vndas,
Excuſſaſq; darent ſubuolui in littora puppes.
Hæc igitur prudens vt damna ingentia vites,
Quæ plerunque ſuis ignauia fructibus auget:
Hijs medeare malis, cum tute bitumina mandes
Et gratam ilignis potare canalibus vndam
Reſtéſq; funesqúe ſimul validosqúe rudentes,
Et tibi quos peragit ſolertia fida camelos.
  Ut primùm ſpectant inſertum littora malum
Firmatóſq; pedes ſub acuto dente meſodma

Condit & ingentis comprendit robora ligni:
Protinus in ſacros animumq́; & tota rudentes
Pectora conuertas: res hæc præclara meretur
Nomina, & artificem poſcit ſolertia dextram.
Maximus hæc equidem nautarum munera certo
Perficit ingenio, validíſque rudentibus altum
Inſerit è malo ſtringítq; in vincula conum,
Subnectítq; rati laterumq́; in margine condit.
At roſtro malum protonus deuincit, & iſtas
Adiungit partes: circum diffuſa rudentum
Materies ſerpit iuſtóque ex ordine pendet.
Quis trochleas, quis aperta lijs veſtigia narret,
Quiſúe per ingentes deducat carmina flexus?
Tot reſtes tot dura iacent retinacula funes,
Tot commiſſuris impacta tenacibus hæret
Plurima materies certóſq; aſpectat in vſus.
Quid quòd per medios in ſumma cacumina funes
Suſpendat ſibi nauta gradus? ceu ſcala iacenti
Fixa ſolo tandem liquidas euadit in auras,
Progreſſuſq́; virum ſupera in faſtigia ducit.
Anchora poſtremò rigidis aptanda Camelis
Inſequitur, validiſq́; immittit funibus anſas.
Anchora quæ proræ comes, & tutela Carinæ
In latus obuerſos ſuſpendit ferrea dentes
Et ſpectanda iacet. Sed enim fortaſſe neceſſe eſt
Interdum plures vni decernere puppi:
Quas inter ſummo quæ præſtat robore Sacram

Nautica turba vocat: quæ tempeſtatibus altis
Soluitur atq; rates extremo fulcit aſylo.
Iungitur huic medio iacti fulciminis index
Fune globus: qui quo iaceat laxata profundo
Anchora & occultos ſub aquis demerſerit vncos,
Monſtrat, & à ratibus vicina pericula pellit.
Hunc ſolida quidam pinu ceu corpere denſo
Conficiunt: alij vel adacto in vincula condunt
Vaſe, vel huc ſartos connectunt reſtibus vtres,
Et proferre docent vigiles in ſidera vultus.
Sæpè ea res magnos peperit pulcherrima fructus
Seu vitanda forent alijs ſua damna Carinis:
Seu ruptas aliquando rates è fune reſoluit
Tempeſtas, grauibúsq; tument agitata procellis
Aequora & è tota puppes ſtatione repellunt.
Tunc equidem certo globus iſte latentia monſtrat
Indicio, & quo ſe ſpacio grauis anchora merſit
Protinus oſtendens aditus patefecit habendæ
Rurſus: & amiſſos iterum te ducit in artus.
Tandem etiam antennis ſuccedat cura, manuq;
Artifici coëant celſis in grandia malis
Commoda, & ingentes validæ tendantur in vſus.
Antennas ſedenim tereti connectere malo
Delphinum videas: volucri quem ſphærula condit
Multa globo, miróq; capit ſua robora flexu,
Et faciles tribuit ſupera in faſtigia curſus.
Hunc verò attollit funis tractorius, altas

Qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Qui rurſum antennas primos demittit in orſus
Et placidè circum tabulata quieſcere donat.
Iamq; adeò excreuit numerúsq; modúsq; laborum
Et dryochus ſummis aſpirat in vltima labris:
Cum ſimul aduerſo iam pridem ex ordine profert
Hiſtiopegus opus: velísq; inducere formam
Certat & æquato compingere carbaſa iactu.
Hancqúe etiam primis operam conatibus addit
Vt pice fila linat, calidóque bitumine merſis
Occupet extremi velorum marginis oras,
Et collata ſuat firmóq; plicamine denſet.
At verò limbos ſupremáque cornua veli
Funibus incingat, paßímq; inſerta per anſas
Fibula venturis ſubſeruiat vſibus. vncos
Quid quòd & haud tenui ceu maxima munera fructu
Addideris? certa eſt ſub tempeſtatibus altis
Vtilitas, cum vela ſinu diſtenta ſoluto
Contrahere & forti libeat tibi ſtringere neruo.
Tum certè primos hami reuocantur in vſus
Acceptántq; anſas extremáque carbaſa torto
Fune plicant, minuuntqúe ſinus aurásq; recludunt
Et nihil in medium, niſi quod iuuet, abdere ventrem.
Antennis igitur ſubtendunt vela: ſed horum
Non vno pars omnis habet ſua nomina ritu,
Nec veniunt parili memoranda ea corpora dicto.
Ordinibus diſtincta leues panduntur in auras
Acatiumqúe locus medium tenet: inde dolones

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et ſuccurrentem poſtrema in parte locaris.
  Interea corbem Naupegus in ardua mali
Culmina ſubuexit: lignumqúe imponere ligno
Certat & extantes ſub ſidera pandere malos,
Et formæ hoc decus in ſuperos proferre rudentes.
Cum ſimul internis perfecta laboribus omnis
Materies coijt: fingendis meta tabellis
Venit & exceſsit trabibus ſua cura locandis.
  Denique quid puppi vicinam tute canalem
Miraris? ſolido velut inclyta machina fructu
Occupat iſta ratem grandéſq; paratur in vſus.
Collectas haurit ſentinæ amplexibus vndas
Et nocumenta bibit, vario quæ attracta receſſu
Iam procul in pelagus ceu diros fundit odores:
Nauſea quæ facili nonnunquam pectora damno
Turbat, & internos vertendo commouet artus
Viſceráq; ingenti ceu tacta dolore ſuburget.
Quin reſtes etiam tabulata per alta reponunt
Vrgentes, leuibusqúe adigunt prymneſia ſpiris
Et ſociant teretes ventura in munera chordas.
  Tandem Nauarcho ne quicquam deſit, honeſtis
Proſpiciunt tectis: lætóq; cubilia tractu
Moliti facilem dant ferre per æquora vitam,
Inſcribuntqúe domos titulis & nomina iungunt.
  Vltima cura rati ſuccedit clauus: agendo
Qui facilis ſubigat tam pondera vaſta, Carinam
Mouerit, ac iuſtis æquarit lintea ventis.

Eia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Eia age ſiderei quis munera tanta parentis
Aut memoret ſatis, aut merito ſatis æquet honori
Officijsúe feret? Signum eſt mortalia ſummos
Hæc curare Deos noſtrísq; intendere factis
Inferáq; hæc miti complectier omnia vultu.
Tum verò iuſta quis dignum neſciat eſſe
Laude virum, tantas animo qui digerat artes
Perficiátq; manu? validas qui in littore puppes
Condat, & hæc auido mittat ſacra munera ponto?
Credibile eſt diuûm monitis ſuperiq; Tonantis
Arbitrio tales deferri in pectora motus,
Atque animos implere bonis. dant ſidera mentem
Ingenuam, donumqúe Dei res clara putanda eſt.
Ut clauum fixit Naupegus, in alta coronam
Culmina ſuſpendit, gaudétq; alludere ſertis
Gratatúraq; operi. medijs at fluctibus Holcas
Innatat, ac caſus ſe ſpe confirmat in omnes
Commendatqúe viam ſuperis, ac talia fatur.
Dij maris & cæli rector, Nymphæqúe natantes
Tuqúe adeò Neptune, meos mihi proſpera curſus
Perficite & placidos timidæ date numina portus.
Non mihi lignorum quæ firma eſt machina criſtas
Tollit, vt æthereos præ me ſtultiſſima ventos
Contemnam. at rerum cum norim fœdera cœlo
Meqúe meóſq; etiam commendo citiſſima curſus
Et quæ grata dijs ego vota ampliſſima fundo.
Fœlices dent fata vias: mihi ponè ſecundos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Mouerit vnda gradus. tum me pia numina ſeruent
Atq; meis iterum ſuperato ex æquore ſaluam
Reddant, ac lætos creſcat mihi nomen ob vſus:
Auguſtaq́; ferant ſtructam me ſorte Carinam.
Sic ait ingeminans fatiq; ignara quieuit.

C. Eraſmi Michaelii Læti,

DE RE NAVTICA
LIBER III.

Aqua.

HInc maris & vitrei quæ ſunt ampliſsima regni
Littora: quos fluxus patitur vaſtiſsimus vndis
Oceanus: quo fonte leues Salſedo procellas
Induit ac variant operoſos ſidera motus:
Tum crebris cur auctus aquis neq; Pontus inundat,
Nec quaſſat ripas oppoſtáue mœnia ſternit,
Exequar. egregio mens eſt obiecta labori

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Si tu Phœbe manus perculſáq; pectora firmes.
Te ſine nequicquam tentamus magna Poëtæ,
Nec monumenta damus ſero manſura Nepoti.
Sed tu CHRISTE Deus noſtræ pars læta iuuentæ
Ingenijq́; ardor, radiúſq; & imago parentis
Aeterni, & ſtudijs pars prima ac vltima noſtris,
Hos mihi conatus magniq́; inſignia facti
Perfice vota. tuo iam pridem numine celſos
Pieridum colles Tempéq; virentia luſtro.
Tu mihi quodcumque eſt operis quodcumque laboris
Das ſuperare. equidem vel te ſunt magna parente
Edita, vel nullo ſunt ædita magna parente.
Tu Veneto laudem populo, tu pectora Vati
Sufficis, vt Læto veniant tibi grata poëta,
Longáq; ſit noſtris obnoxia vita Camœnis.
Ergo vbi progreſſus rerumq́; elementa tueris,
Oceanum tibi prima quidem cognoſcere cura
Pectoribus ſubeat: quantúmq; vel arte vel vſu
Ingenióque potes ſalebras obtriueris, in quas
Incidere haud raro ſectantem magna neceſſe eſt.
Forſitan & Veneri merita ratione litabis
Supplicibusq; Deam mitiſsima numina dictis
In tua vota trahas. Vetus eſt ſententia natam
Quæ ferat eſſe mari fluctúſq; animare liquentes.
Hanc comitem magni capias ſudoris, aſylo
Quo fretus tumidi vaſtiſsima littora ponti
Naturæq́; vices, reſluiq́; volumina regni

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Prendere coneris Pelagique recludere ſortes.
Huius enim varia eſt natura vſusq; ſitusq;
Cumprimis mirandus, & haud ſatis obuia motus
Regula perpetui: tacitis quæ obnoxia cauſis
Diſtrahit immiſſos ſua per veſtigia ſenſus.
Rarò igitur quenquam, veros monſtraſſe fluentis
Naturæ fontes, latóſue reuoluere ponti
Circuitus: aut quanta meet per climata Nereus,
Quæ loca quot ſpacijs diſtantia regna ſequatur.
Cum tamen aërios diuerſáq; ſemina tractus
Terrarumq; ſinus atq; intima viſcera multi
Ingenijs ſcrutati in apertos plura dederunt
Eruta conſpectus: quæq; ante obſcura fuiſſent
Iuſſere expulſa penitus caligine cerni.
Hinc auri pondus Cuprúmq; ac grana nitentis
Argenti, lucem cepere: hinc optima ſtanni
Materies ſeſe noſtra in compendia magno
Effudit numero: hinc Gemmæ prodire. virorum
Artificum ſtudijs res explorata ſub auras
Venit, & è latebris iucundos extulit vſus.
Aut quid ego aërios & lucida nubila tractus
Rettulero? nónne hîc diuerſo ex ordine formæ
Multiplices agitant motus, variaſq; videri
Contingit ſpecies: quas mens humana ſagaci
Veſtigat ſtudio cauſſiſq; patentibus addit?
Sic pluuias tenuéſque niues trepidumq; Cometem
Saltantéſque aperit ſupera in regione capellas,

Fulgu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Fulguráque ac tonitru, ventisq́; volumina pandit.
Mox cœlos ingreſſa aliud perquirit, & orbes
Seſe inter confert numerátque ac digerit: inde
Menſurat ſpacijs, qui quantum extrema tuentur,
Tantum voce quidem grauiore ſub vltima ſeſe
Culmina diſtendunt, ſonituq; obſcura feruntur.
Quin Annos menſesq́; polo, numerósq; dierum
Educit: quibus aut longas dant frigora noctes,
Aut breuibus coëunt aſtricta repagula gyris.
Tum verò humanas ceu regna domeſtica vires
Explorare iuuat multos labor. organa motus
Atq; operum cauſas, animiq; latentia produnt
Semina & occultis in apertum fontibus vrgent.
Hoc igitur ſeſe ſtudio mortale fatigat
Exercétq; genus. quid enim? pulcherrima res eſt
Naturæ fontes atq; incrementa tueri,
Hæcq́; per humanas deprenſa euoluere mentes.
At maris & liquidi quæ ſint ſecreta profundi
Semina, quæ motus ratio, quæ tanta ſaporis
Cauſa, ac quod tandem vitreis ſe miſceat vndis
Numen & hanc gelidis ceu vitam fluctibus addat:
Haud ſatis expenſa quiſquam mihi lance peregit.
Sparſa quidem ſunt multa libris, aliudq́; tabellæ
Nunc aliud ſtringunt leuiterq́; attingere certant.
Aſt nimium ieiuna ſuisq; informia membris,
Nec penitus digeſta ferunt: ceu multa neceſſe eſt
Ignorare viros, qui denſis merſa tenebris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

In lucem proferre ſtudent operumq́ labores
Præcipitant curſu, rerumq́ examina tollunt.
Me tamen interea nunquam ſapientia Vatem
Sic agat: hac oculos cornicum prorſus vt acres
Figere laude velim priſcoſq́ notare poëtas.
Multa per inſtabiles errabat turba magiſtros,
Incertamq́ diu meditata fauoribus auram
Conſtitit: ac quo quemque tulit ſententia tandem
Inflexit mentem & prenſo ceu fine quieuit.
Pythagoras lacrymam Saturno patre fluentem
Aequora tota vocat: cæloq́ in noſtra venire
Regna putat, lapſuq́ ſinus opplere iacentes
Et medias inter ſe ferre liquentia valles.
Aſt alij terras primis ſub fluctibus olim
Concluſas latuiſſe ferunt, vbi nullus ab vndis
Angulus extabat: quòd circumfuſa mearent
Aequora & expanſis texiſſent intima lymphis.
Donec Phœbeis abſumpta caloribus vnda
Deficeret ſpacijs cæloq́ coquente periret.
Hanc verò Notijs fortunam partibus eſſe
Inijcio viſam: quòd Sol ibi plurimus æſtu
Ferueat ac lymphas directo ſorbeat igne.
Extractos ſedenim Phœbi virtute liquores
Aduectóſq́ polo, mutatos protinus eſſe,
Atq́ elementa nouis auxiſſe calentia formis.
Sed minus in Boream Phœbo licuiſſe: calentes
Quòd minus is radios & tela ardentia cæli

Sentiat obliquo regnum ſortitus in orbe.
Hic igitur manſiſſe ſalum, nec ab æquore tractos
Humores celſi petiſſe palatia cœli:
Sed noſtros duraſſe lacus, duraſſe profundum,
Oceanumq; ſuis etiamnum ludere ripis,
Impulſusq; vrgere graues, terrisq; minari.
Et tamen hac etiam Boream Schola priſca teneri
Conditione putat: ſimilésq; aliquando futuros
Eſſe dies, quibus æquata mare lance peribit
Vaſtatum flammis: reſolutáq; corpora cœlo
Miſceat ac halitu tenues exſpiret in auras.
Hæc ſua Democriti vigilem ſententia mentem
Occupat: in numerum qui elementa ſuperflua cogit,
Et triplici tantum manſura ſub ordine dixit.
Poſt alijs aliud viſum eſt. pars cingere terram
Atq; ambire putant: veluti cum baltheus acres
Circundat lumbos incluſáq; viſcera ſtringit.
Pars vrgere ſinus oppleréq; pondere valles
Atq; informe latus terrarum obducere narrant.
Denique quid veterum faſtidia ſector, & omnes
Errorum formas agitatáq; dogmata pando?
Res ea ſemper habet dubias in origine cauſas
Et tenebris immerſa latet, penitusq; per omnes
Implicat articulos humanáq; pectora turbat:
Cum nihil hos tentare aditus ſine numine Diuûm
Et cœlo monſtrante fuit. Sapientia triſti
Obruta mole latet, puteóque immerſa profundo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Effugit humanos inimicáq; iurgia ſenſus,
Donec ab æthereis ceu prodita ſedibus altos
Explicet ingenio referátq; in lumina nodos:
Séq; adeò populis per honeſtas vindicet artes.
Tempus erat prima cum mundus origine formis
Hijs equidem rerum coëuntibus intulit omnes
Structuræ numeros: cunctiſq; æquata ſubibant
Membra locis, vacuumq́; procul natura creatis
Expulit ac plenis inſcripſit partibus orbem.
Proxima ſidereos tum ceſsit flamma ſub ignes,
Infima quà Lunæ vagabundos ſphæra planetas
Finit, & extremos oculorum terminat actus.
Huc diſcreta deo Virtus ſua maxima flammas
Detulit: innata quæ cum leuitate ferantur
Sublimes, equidem noſtri faſtigia mundi
Vicinumq; tenent cœli regionibus orbem.
Id verò corpus cum ſit rariſsimum, ab vllo
Prendier aſpectu nequit. & tamen eſſe neceſſe eſt:
Seu propria ſeſe forma ſuſtentet, & ignem
Haud alio fas ſit rerum fulcimine volui.
Seu ſe ſpiritibus ſubtilis & aëris vndis
Intulit: atq; iſtis ſuccenſis penè feratur
Vt calor in venis, liquido qui regna cruori
Iunxit & ex illa vitam ſtatione tuetur.
Sanè equidem dubiæ ſub concaua mœnia Lunæ
Dum penetrans adit ac ſuperos ſe ſiſtit in orbes,
Imperio latè regnat, geminóſq; per æſtus

Auxerit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Auxerit ætheream ſpiramina cœlica formam.
Poſt ignem blandis prouecta caloribus aura
Occupat, ac medias cumulat farragine ſedes.
Aura loci genius dubiæq; potentia vitæ,
Cui natura dedit ſpaciys incumbere, quà ſe
Nequicquam duro mergunt terreſtria lapſu.
Hîc aër flammis clauſus, ſed cætera claudens
Inferiora locum quem dat natura tuetur,
Craßior igne quidem, ſed aquis ſubtilior: vt qui
Multiplici vegetet coëuntia corpora motu
Inſiſtátq; cauis per aperta foramina membris,
Et celeri prorſus complerit inania ductu.
Humor at ingentis moles vaſtiſsima regni
Cingitur aëreo ſua per faſtigia tractu;
Incluſasq; tegit ſub aquarum pondere terras,
Circumdátq; ſolum mergítq; latentia ponto.
Namq; ea compreſſæ ratio eſt grauitatis, vt imo
Prorſus adacta ſinu mediáq; in parte moretur,
Firma baſis, circum tendant vbi cætera gyros
Innixásq; ferant centro coëuntia formas.
Hæc fuit illa nouo faciesqúe & plurimus orbi
Rerum habitus, primis elementa vbi quæq; locantur
Ordinibus: quo tum quæ rara leuísq; fuiſſet
Materies ſupero petyt loca proxima cœlo
Et liquidos fertur poſuiſſe ſub æthere vultus.
Cætera quæ grauitate forent memoranda, iacentis
Infima carpebant naturæ regna ſuóq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ceu fulcro ſubnixa pari libramine vaſtum
Sunt complexa globum nexúque aſtricta quierunt.
Sed quid ego hæc? nec enim conſector inania: nec quæ
Abducant noſtras, cæca ad compendia mentes.
Utilitas vero petitur. natura latentes
Incluſit terras: Sed vox diuina recluſas
Prodidit ac vinclis naturæ iura ſubegit.
Sic igitur pelagus veteri è ſtatione recedit
Arbitrio magni victum Iouis: illius audit
Iuſſa ferox, tumidúſq; ſuo ſe limite pontus
Contrahit ac ſpacio multum diſtante ſecatur.
Quodq́; prius toto cinxit velut agmine terras
Iam mare diuerſos reuocatum accedit in orbes
Ingeritúrq; locis, cumulóſq; in limina ſtringit
E' propria veluti pulſum regione: ſitumq́;
Naturæ mutans peregrina in ſede moratur.
Interea merſum tellus caput extulit acri
Oceano, varijſq́; dedit ſe partibus altè
Conſpicier, quantumq́; freto ſe exemit & vndis,
Nudatis ſuperos tantum videt artubus ignes
Et faciem prætendit aquis: quo limite Pontus
Stringitur ac vanos in littora promouet auſus.
Quis ſonitum illius pelagi, quis multa ruentis
Murmura, quis ſubitos diuerſa per agmina curſus
Explicet aut iuſtis æquet miracula dictis?
Scilicet ad Superi nutumq́; ac iuſſa Tonantis
Credibile eſt propero circumflua mollia lapſu

Exceſiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Exceßiſſe locis: ſimul & ſtatione relicta
Naturæ, dicto violentas carpere ſedes
Et minimè proprio regnorum vecte teneri.
Dij quantos cumulos tumidiq; volumina ponti
Aſpicere & quantos poteras aduertere curſus,
Natiuo ſeſe cum Nerea regna profundo
Exigerent.rapido ceu quis proiecta volatu
Tela videt medias inter ſe condere nubes,
Et celeri noſtros ſtridore eludere ſenſus.
Haud ſecus æquorei tulit impetus agmina regni
E' proprijs reuocata locis.natura iubenti
Paruit iſta deo: quantumq; excedere mandat,
Tantum abit ac cumulo liquidas faſtigiat vndas.
Vt ſatis eminuit depulſis terra procellis
Siccatáſq; dabat ventura in ſemina partes,
Intulit Oceano ripas Deus, atq; per omnes
Littora circuitus & firma repagula duxit:
Oppoſuitq; ſalo vectes, vbi mollis arena
Tot fremitus, tot dura maris certamina cœlo
Principe ſuſtineat nullasq; paueſcat ad iras.
Non igitur Mare natiuo iam littore grandes
Regnorum cumulos & opacas ſtringit abyſſos:
Arbitrio ſedenim magni Iouis extera mundo
Brachia ſubtendit peregrináq; mœnia pulſat
Perpetuo clauſum ceu carcere:limina cuius
Sarta colat,nulláq; dabit ſe luce reuerti
Atq; iterum noſtras inuoluere fluctibus vrbes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quas certè firmi tumidas fulciminis vndas
Haud mirere ſatis. res hæc mortalis acumen
Ingenij ſuperat: violenta ſede liquentem
Materiem ſolido ceu preſſam vecte morari,
Et nuſquam tenues luctando exſcindere ripas.
Hæc igitur proprijs elementa grauiſſima formis
Totius in medio regnum ſortita, quietem
Iuncta colunt pactumq; Deo & virtute tuentur.
Etſi autem magno deceßit pontus hiatu
Deſeruítq; locos tenuésq; reliquit arenas,
Ut facies conſtet ſiccóq; appareat orbi:
Spectaclo tamen hæc digna eſt res vna: quod vſquam
Haud diuulſa ſtrijs terrarum maxima cernas
Corpora ceu ſolui: quanquam vel montibus extent
Hic ſummis: alibi ſubſidant vallibus, & ſe
Multiplici varient qua ſpectant aëra, forma.
Oppoſito ſiquidem rutilantis lumine Phœbi
Umbra cadit nullis vel fiſſa vel aſpera rimis,
Fractáue nec teretes incidit linea vultus.
Ut certum ſiet eſſe globum, quem terra fretumq;
Immotæ ſubnixa baſi duo corpora gignunt.
Id miror, liquidi cùm ſit miſcerier, hocce
Non tamen & ſolui terrarum littora tanto
Humorum pulſu crebríſue fatiſcere lymphis.
Certè is naturæ ſi tantùm motus ineſſet,
Haud diuturna foret liquido concordia ponto
Terrarumq; iugis: ſed ſeſe vrgendo perirent

Mutuaq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Mutuaq; in ſubitas glomerarent vulnera mortes.
Nunc verò melior formas natura creatas
Seruat, & impoſito ceu limite ſtringit arenas,
Defenditq; ſolum ponitq; repagula lymphis:
Ne fera ſidentes inuoluant æquora valles.
Quæ bonitas autoris & inſcrutabile mentis
Conſilium æternæ, cum iuſto lumine dici
Haud queat, id meritò perfecerit: omnibus omnes
Vt grates animis ſanè amplectamur, & ipſum
Quod ſtudio aſſequimur veros referamus in vſus.
Quid quòd in externum totam maris accola molem
Internumqúe ſecet? duplicíq; è nomine latè
Regnantis celeres diuiſerit æquoris vndas
Adſcribátq; locis? Iſtud diuina vetuſtas,
Quod ſolidas ambit terras vteróq; patente
Confouet, Oceanum motu ex conſtante vocauit:
Cùm celeri ſubigat ſeſe in veſtigia flexu,
Alternétq; vias curſumqúe in littora gyret.
Hic equidem vario populorum nomen ab vſu
Culturáq; capit. geminas qui permeat Arctos
Et ſtringit ſeptem ſubiecta trionibus arua,
E Borea Borealis aqua perhibetur, & acri
E' glacie æternis infeſtat littora cruſtis.
Heſperias ſed enim proſpectat Atlanticus vrbes
Occiduáſq; plagas: tumidis vbi fluctibus æquor
Ingentes cumulos & celſa volumina tollit
Infractum, cogítq; graues ſub motibus vndas,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aequatóq; ſibi faſtigiat ordine lymphas.
Inde ſuas Notius pluuios porrectus in Auſtros
Exercétq; terítq; domos ignotior: vt qui
Dura Magellanis obiectet littora regnis.
Vltimus Eoo ſucceſſerit Indicus orbi
In vaſtas diffuſus aquas: vbi plurima lymphis
Materies cumulos fluitantis & ardua ponti
Regna tenet: lato Neptunus in æquore currus
Temperat atque iſtic multa ditione gubernat.
Hunc equidem toti Cyclum natura profundo
Inſeruit: maiusquo nil habet orbis, habere
Nec melius quicquam, ſi demas ſidera poſſit.
Tantum vſus tantumq́; boni, tot commoda lætis
Terrarum populis, tot & infortunia gignit.
Vtq́; nihil rerum ſileam: cui plurima lato
Inſula ſparſa mari gelidóq; obnoxia ponto
Ignota eſt? nihil Oceano diffuſius ambit,
Seu ſolidam ſpectes diuerſa in littora terram,
Seu ſparſas paſſim gentes, quas multa per amplos
Inſula circuitus externáq; limina condit.
Proximus interno ſitus eſt mari. at illius haud ſe
Hoc natura modo ſpectandam proferet: vt quæ
Non ita compreſſis circundata brachia terris
Pandat, & amplexu vicinas cingat arenas.
Cingitur illa quidem potius gremióq; recepta
Clauditur, & tacitis comprenditur abdita ripis,
Littora paſſa ſoli, quà terra abſcedit hiansq́ue

Inducit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Inducit lymphas Sinuúmq; in vincula mergit.
Nam veteres dixere Sinus, cum terra recedit
Parte aliqua ac intro ſubeuntes colligit vndas,
Infuſosqúe trahit porrecta fronte liquores.
Maximus & toto dubio procul optimus orbe,
Qui medias terras & littora rupta columnis
Herculeis aperit, plenóq; ſub agmine preſſum
Ingreditur mundum dirimítq; amplexibus orbem.
Hic populos populis atque vrbibus eximit vrbes
Regnorum limes: quiqúe Africa littora dextris
Radit aquis, fractæqúe lauat Carthaginis arces
Et ſua per Syrtes per inhoſpita gentibus arua
Niliacasqúe plagas circumfert brachia: donec
Iuncta Paleſtinæ Phœnicia regna, minoris
Atque Aſiæ frontes & Colchica littora lambat,
Incuruétque latus, quà Phaſidos oſtia tandem
Vincat & extrema ſe ſub Mæotide condat.
Europam ſed enim ſtringit manus altera: cum ſe
Leua per Hiſpanas ampliſsima promouet vrbes
Et ripis inſercit opes: vbi plurima fluctus
Proſpicit in medios Prouincia diues & inde
A Gallis totos obiectat in æquora vultus.
Mox latus Italiæ heſperium, Tyrrhenia regna
Occupat: ac quondam florentis mœnia Romæ
Præteriens longos in Brutia littora tractus
Eijcit, ac Scyllæ iunctam legit acta Carybdim.
Inde vbi gyrato curuarat brachia lapſu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Adriacos ingreſſa ſinus, pulcherrima cernit
Regna virûm: quibus in medijs maris æſtubus eſſe
Tranquillas ſedes æternaqúe tecta volebant
Numina, & hac ſeros cumulari laude Nepotes.
Quis Venetum populos, quis fortia pectora, vel quis
Fortunam morésq; breui ceu prendere ſcripto
Poſſit & ingenijs tenui decus addere Muſa?
Res ea maius adhuc ventura in culmina pondus
Seruat, & haud dubijs tranſmittet honoribus vrbem,
Aſpirat ſi recta deo, & virtutibus ardet.
Hinc petit Illyrios & Dalmata prædia campos,
Epirumqúe legit Græcasqúe perambulat oras
Atq; Corinthiacon hinc atq; hinc alluit Iſthmum.
Theſſalicas premit inde plagas Macedumqúe colonos,
Et vaga Strymonios amplo capit aggere fluctus.
Mox Thracas ſuperat gentes anguſtaqúe Ponti
Ora ſecat: quantumqúe means Aquilonibus altis
Adproperat, tantum vaſtos permenſa receſſus
Ardua Bulgaricis habitata cohortibus arua
Induit ac magno Ruſſorum limite regnat:
Extremas donec complexa Boriſthenis vndas
Terminat in Tanaim, ſuperísq; Paludibus exit.
Alter at in Boream ſpacijsqúe ac laude bonóq;
Communi, & ſimili diuerſa per oppida forma
Gotthicus inſurgit: qui Cimbrica littora vaſtus
Circuit, ac multis populorum collibus errat.
Hic etiam Europæ ſoboles velut altera miros

Induit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Induit anfractus: quæ tempeſtatibus altis
Obuia ventorum triſtes horrere procellas
Cogitur, & varios ſentire in funera motus.
Quis breuia & cæcis latitantia ſaxa ſub vndis,
Quis ſcopulos dubiasqúe vias & plurima paſſim
Sparſa pericla canet? minus eſt quod Muſa loqutaur
Inſcribatqúe notis, quàm quod Sinus iſte dolori
Parturit ac cæcis ſcopulorum flexibus auget.
Et tamen æternis res conſtat honoribus: vt quæ
Ceu murum populis tranquillaqúe gentibus arua
Præſtat, & inuiſos prohibet graſſarier iſtic
Piratasúe feros auctumúe latronibus agmen.
Expertos ſed enim nautásq; & recta colentes
Officia hæc tolerat: quantumqúe laboribus inſtant
Fortunæ tantum melioris curſibus ornat.
Ergo vbi Nortuagicos ſoboles hæc læta receſſus
Scagenſesqúe inter cumulatis fluctibus oras
Ingreditur maiore freto, ſe protinus æquis
Littoribus ſinuat, diuerſaq; regna frequentat.
Dextera Cimbrorum terras & multa vetuſtæ
Oppida gentis adit, rutulum qua ſpectat in ortum
Cherſoneſus, & Eoo lauat æquore ripas,
Infuſosqúe videt deuolui in littora fluctus.
Inde vbi Vandalicas proceſſu contigit vrbes
Saxonicumqúe latus, curuo Pomeranica flexu
Præterit arua legens. mox regna Boruſsica lætis
Pulſat aquis: vbi conferto ſacra copia cornu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Succina grata parat dubijsqúe inſpergit arenis.
Inde Gedanenſem populum & Liuonica curſu
Rura ſubit: donec vicinis obuia Ruſsis
Littora ſubtendat, pernixqúe Carellia lapſus
Occupet extremos metaqúe aſtringat euntem.
Altera Nortuagium quæ pars conceſsit in orbem
Has primùm gentes æquataqúe culmina cœlo
Alluit. Hæc equidem regio vaſtiſsima rupes
Exerit ingentes: quantumqúe excurrit in vndas,
Sublimi tantum ſe vertice tollit & altos
Intumet in montes, ſyluisqúe cacumina ſpargit.
Terra ſuis aliquando bonis & munere diues
Naturæ: fœlix etiam, quo tempore Regum
Inclyta cura fuit: ſacróſq; amplexa Monarchas
His patrias ſenſit pedibus calcarier vrbes.
Mox Hallandiacas aditu perlabitur arces,
Vardburgiqúe videt nunc infortunia. furuis
Lux ſcribenda notis pulloqúe ferenda lapillo
Qua tanta eſt patriæ Reſpublica verſa, ruitq;
Vrbs ea, qua populi maior virtutibus vſquam
Nulla fuit: ſeu quis cultum formæqúe decorem,
Seu mores placidos, ſeu quam mirere venuſtam
Mundiciem ſpectet commerciáq; ampla ſequatur.
Quin age fœlicem, niſi quæ fortaſſe repugnent
Numina, & hæc etiam fatorum vota retractent,
Dixeris eſſe diem: quæ vel ſubuerſa reponat
Tecta virûm: ſolidaqúe manu tot raudera tollat

Deter-

Detergátq; locum muriſq; recentibus ornet.
Aut ſi tanta quidem Reſpublica fraude peribat,
Non ſatis humana: vindictam ſidera poſcat
Quæ, quæ iuſta ſient, meritis ſua præmia reddant.
Hinc ſe progreſſu mouet, Halmſtadiumq; relinquit
Oppidulum, duro quod belli tempore ſæuos
Pertulit impulſus Sueonum: cum mœnia cœlo
Defenſante forent nullis obiecta ruinis.
Semper honos, nomenq; tuum virtuſq; manebit
Cognita, & Halmſtadios celebrabunt ſecula muros:
Quamq; diu Suecis ſint æmula pectora, noſtris
Sit contrà populis virtus: te Paule ſequatur
Gloria, te meritis addet tua fama triumphis:
Inſcribetq; notis fœlicibus acta, gerantq;
Hanc à te partam Huitfeldica pignora laudem.
Sanè equidem Auſonijs ſeruata ob mœnia reddi
Ciuica conſueuit: monumenta ampliſſima gratæ
In populo virtutis, habet quæ ex nomine laudem:
Quòd patrios inter conferta pericula Ciues
Seruet, & hoſtiles à cædibus arceat enſes.
Quis non tete igitur fateatur Paule coronam
Gramineam meritum, cum tantis oppida priſci
Halmſtadij ſeruas animiſq; ac viribus? aut quis
Iohanni neget Ulffſtando? qui fortiter arcem
Baahuſum, parili cum Marte animoq; valeret,
Aſſerit, ac magna ſubeuntes clade repellit
Suecorum proceres, nitroq; ſub æthera ſpargit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ille erat eximia dignus vir laude. velut iam
Hanc quoq; frater habet ſummam: cui maxima Virtus
Fortunæq; gradus & mens inuicta modeſto
Militat, ac veros Hacco meditatur honores.
Sed nihil iſta ſequar. locus eſt vbi plurima noſtri
Temporis acta canam, monumentaq; maxima narrem:
Aſpirent ſi fata animo calamumq; gubernent.
Poſtea ſe anguſtis iterum ceu faucibus arctat
Ingrediturq; fretum celſos vbi Scania montes
In pelagus iacit, ac Kulebundas claudit arenas:
Incingitq; cauo circumflua littora ponto:
Eoas iterum donec ſinuata per vndas
Gotthorum ſedes & regna valentia ſtringat.
Tandem protenſos Sueonum petit incita colles
Alluditq; locis, vbi ſeſe Helſingia ripis
Obijcit & lata ſe mittit in æquora fronte.
Iemptica piſcoſo mox limite regna pererrans
Arctois aſpirat agris. Tum Botnica lenis
Occupat arua means & terminat æquora, donec
Hinc Lappos atq; hinc celeres premat obuia Finnos.
Hæc equidem duo ſunt Europæ lumina, cunctos
Quæ populos & regna beant: quibus iſta Tonantis
Arbitrio data dona putes, vt plurima noſtris
Vſibus æqua ferant, & inundent commoda regnis.
Quatuor aſt Aſiæ veterum monumenta notarunt
Scripſeruntq; Sinus: Arabum ditione teneri
Primum aiunt, latóſq; inter ſe condere montes

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et Notias ſpectare plagas, vnde omnis in Arctum
Funditur, ac varias procurſibus alluit vrbes.
Hinc ſua fœlices deducunt thura Sabei
Conſtipantq; aurum: medias quod & inter arenas
Deprenſum fuluo rutilantia grana colore
Prodit, & haud tenues fert in ſua pondera maſſas.
Iſtinc Aegyptus ſpacioſo peruia Nilo
Et latus opponit ripis, & littora ſæuis
Fluctibus immittit ſpaciumq; incingit arenis.
Hic Sinus in terras ita frontem porrigit: vt iam
Penè etiam, exili diſtet niſi limite, Pontum
Attingat medium: ſolidos vbi torrida fines
Magnæ Aſiæ prendit, breuibusq; abit Africa ripis.
At diuina quidem metas Sapientia iuſſit
Eſſe mari: nullóq; dedit laxata reſcindi
Vincula, nec clauſos aperiri in littora tractus.
Hoc mare Iudaicas fama eſt tranſiſſe cohortes,
Cum procul Aegypto ſeſe extulit agmen, aquaſq;
Mandato vidit ſolidis increſcere muris.
Perſicus alter opes ſpectat Sinus, omnibus auctas
Littoribus, quantumq; patet ſub magna receptus
Atria terrarum ripiſq; tumentibus errat,
Tantum præcipuas attingit vertice gentes,
Circuituq; legit fœlicis prædia mundi.
Aut quis Chaldæos, quis Suſa, quis aurea Perſis
Rura domoſq; canet? res eſt ampliſsima, ſi quem
Priſca iuuet ſtudijs populorum regna tueri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et conferre viros, qui circùm littora paſsim
Incuruata colunt Bathanæáq; mœnia ſeruant.
Oceano certè multum irrumpente recedit
Terrarum moles, spacijsq; ingentibus ambit
Infuſos latices atq; æquora vaſta moratur.
Tandem etiam Cangi ſupereſt Sinus. ille fluentem
Mox recipit pontum nigrisq; allabitur Indis,
Et latè ſeſe diuiſa in cornua fundit.
Credibile eſt iſthic immenſo pulſa receſſu
Cedere regna locis, fractásq; fatiſcere terras,
Seq; inferre ſalum, tumidísq; aſpergere ripas
Fluctibus & regnum spacioſo Gange tueri.
Ultimus Hircano qui clauditur æquore, metam
Conſtituit numeris. mirum eſt fortaſse vocari
Inſcribiq; Sinum, ponto cùm longius abſit
Et prorſus dulces tribuat ſitientibus vndas.
Res tamen aſſeruit longa ceruice fretoq;
Pertenui, magnum qui fluctibus alluit orbem,
Mittier Oceano, quas hoc mare poſtea lymphas
Accipit ac vaſto terrarum littore ſeruat:
Ut Sinui formam præſtet locus. Ille ruentes
In ſeſe fluuios diſtento gurgite latè
Accipit, ac plenos in viſcera contrahit amnes.
Cumq; per excultas populorum ſe arcuet vrbes,
Uberibúsq; ſoli geminis alludat: arenas
Immenſo ſpargit circum ſua littora tractu
Euxinumq; æquat Clitarcho iudice pontum.

At

At verò dulcem præbere in pocula guſtum,
Inde venit: fluuijs quòd inundet pluribus, & ſe
Multiplices ſubigant magnis huc molibus amnes.
Diluit iſta quidem ſalſos aqua mixta liquores
Naturamq́; premit, vel ſuauibus obruit vndis,
Uel virtute domat, vel amaros temperat vſus:
Ut minus horreſcant auſteras guttura lymphas.
Dij, quantos curſus quantumqúe huc fata laborum
Præcipitaſſe ferunt: dum ſe alueus vndiq; dulci
Induat omnis aqua: quantumq́; infundier vndis
Eueniat, tantum gremio freta Caſpia totos
Excipere & fluuios, & aquis inferre ſapores,
Quos iam lata bibant ſuperantibus æquora lymphis.
Aut quid Iaxartem, quid atrocem gurgite Uolgam,
Qui ſe bis decies & quinq; per oſtia ponto
Inſerit Hircano fluuijsq́; ingentibus armat:
Uel quid Amazonijs vicinum teſter Araxem,
Quid Cyrum memorem, quid deniq; plurima dicam
Flumina, quæ facto velut agmine ſeq́; ſuosq́;
Exonerant curſus & aquas huc conſcia voluunt?
Nec minor in populis ratio eſt: quæ plurima littus
Turba colit circumqúe plagas & paſcua lato
Circuitu tentat ripisq; vagatur amœnis.
Albanis primum iungunt ſua rura Coraxi:
Inde Galactophagi Scythicis contermina regnis
Bactra vident. Tum paſcentes Hircania tygres
Nutrit & extremis connectit limina Medis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hos natura Sinus infuſáq; littora terris
Principiò molita locis adiunxit & orbi,
Quà varias diuina dedit Sapientia gentes
Mutua ſemotis ſectari commoda regnis.
Magna Deûm noſtros tolerat Clementia mores:
Conniuetq; malis, auido quæ plurima quiſque
Perficit ingenio cumulatáq; crimina reddit.
Non igitur rerum minuit bona. gentibus amplas
Auget opes, quibus æquato ceu fœdere ſeſe
Coniungant populi, dum mutua lucra ſequantur
Importentq; ſuas aliena in littora merces.
O vtinam Virtus deinceps ſit maior, & eius
Sit maius ſtudium: ſapiant mortalia triſti
Pectora ab euentu. nec quòd ſe mite feraxq;
Oſtendat cœlum & terram prouentibus ornet:
Iccirco ingratum genus hoc ſit. Numina magnis
Nos plerumq; bonis cumulant: ſed turpiter vſi
Nos plerumque bonis ſcelerato viuimus auſu
Atq; aduerſa dijs cœlo prohibente tuemur.
Heu miſeram vitæ ſortem mortalis, at illam
Sic ſuperi emendant: ſi tu monitoribus aures
Præbere, & diuis aduertere pectora tentes.
Sanè equidem quæcumque Deo fortuna volente
Creuerit, & noſtros veniat delata ſub vſus:
Eſſe bonam gratámq; putes. qui vincere certet
Fortunam, veris certet virtutibus. vna
Hæc ratio eſt quæ te victorem ſedula reddat.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nunc varias pelagi terras, quæq; inſula pontum
Multa tenet rapidóſq; inter iacet obuia ventos,
Hîc addam & tenui memorauero maxima verſu.
Oceano ſparſas primùm mirere Moluccas
Eoi ſobolem Pelagi: quæ multa per vndas
Fuſa iacet, diues numeris & fertilis aruo.
Imaus hîc duras obiectat in æquora frontes
Inſperſoſq; mari ſcopulos videt. excipit iſtas
Iaua minor, propterq; ſororem littora tendens
Ardua Maiori diduci cornua cernit.
Mox ſua Taprobanen circumdat linea, quæ ſe
Explicat in vaſtos diuerſa per arua receſſus
Multiplicatq; locos varijſq; ambagibus ambit.
Hæc illa eſt quæ bis Soles bis frigora cernit
Inſula: quæq; Elephantorum vaſtiſsima nutrit
Corpora: quæq; ebur & gemmas & aromata noſtris
Vrbibus immittit latum & partitur in orbem.
Tum Madagaſcar aquas inter proiecta ruentes
Oceani curuum patitur latus: ardua frontem
Obijcit Aethiopum terris, propiusq; calentem
Aegocerota videt dorſumq; in littora pandit.
Inſula Corgoneas etiam complexa ſorores
Cingitur ingenti Pelago, toleratq; furentis
Oceani fremitus æſtumq; eludit inanem.
Aut fortunatas, priſca hæc ſunt nomina terras
Quis neſcit? ſanè eſt laudanda induſtria, quorum
Ingenio noſtros res tanta acceſsit in vſus:
Siue ignota prius fuerit: ſeu fortè recenti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Prodijt inuento ſeq; in tua commoda pandit.
Hîc Hiſpaniolam, Cubamq; & multa Columbo
Regna reperta legis: quæ partim littora ponto
Cincta colunt, ſolida patim tellure propinquis
Finibus excurrunt, tenui aut freta peruia tractu
Interagunt, breuibusq; vijs confinia diſtant.
Vtq; ego quæ vero ſint conſona prodita narrem,
Sanè ego nil dubito Americam, quantum illa per omnes
Oceani latices Notium contendit in orbem
Immenſo ponti ſpacio prouecta, virentis
Eſſe ſoli partem: quæ Florida terra ſub Arcto
Panditur, & ſeptem ſubtenſa trionibus errat.
Ex illa ceu cauda Peru dependet, & inde
Ex Aſia longis obnoxia flexibus Auſtro
Alludit, donec fulgentem luce Canopum
Spectet & oppoſitas noſtris petat ignibus Arctos.
Id verò fas ſit mirarier, vnde colonos
Inſula multa habeat: quæ cum longiſsima terris
Abſit & à toto ſemota ſit orbe: feratur
Culta tamen ſtudijsq; vacet, morumquée ſequatur
Quas vel cunque vias gentémq; è gentibus auget.
Multi equidem ex alia teſtantur origine natos,
Quàm quo communi genus hoc mortale parente
Prodijt. ex ipſis igitur ſibi ſedibus æuum
Ducere, & haud alias in ſemina noſcere ſtirpes.
Diluuij neſciſſe malum: quo tempore Noah
Seruatus reliquum pelago ſubſidere mundum

Vidit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vidit, & abſorptas in tartara mergier vrbes,
Implicitósq; homines nullo prohibente perire.
At verò hoc temerè, & cunctis ſine legibus vnum
Aſſeritur. Nam diluuio genus omne peribat
Humanum. aſt iſtuc ſucceſſu temporis, inde
A' priſcis delati annis creuere, ſibiq́;
Sufficiunt ſobolem, natósq; è Patribus augent.
Continuata viæ progreſsio protinus inde
Ex Oriente genus duxit mortale, ſuperbam
Cum confudiſſet Labij diſpertio turrim,
Et meritò ſeſe ſoluiſſet lingua furore.
Namq́; iſtinc pariterqúe homines, pariterq́; ferarum
Brutorumqúe greges & copia prima volucrum
Se proferre, latus mundi per vtrumq; ſub Auſtrum
Pars abit, in Boream pars altera ceſsit. ab illis
Americo tenui proſpectum eſt ſemine regno,
Vlteriora viris ſemper tentantibus. aſt vt
Huc venere pedem figunt & ſedibus aucti
Multiplicant ſeſe morésq; ex ſidere ducunt.
Nec tamen hac etiam contenti ſorte quierunt
Limitibúsq; manent: quæcunq; eſt Inſula terris
Obiecta & liquidos infert ſub lumina vultus,
His petitur: cum nunc omnes, nunc quiſq; relicto
Communi proprium ſtudeat ſectarier, & ſe
Tanquam à fonte ſuos moliri in inferre Nepotes.
Nec dubium eſt, quin quæ ſiet Inſula maxima lato
Hinc atq; hinc Pelago velut interſperſa, videri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Illam aliquo ſaltem terrarum è culmine poſſe
Signariq; oculis, qua ſe via prima per vndas
Explicet ac curſus ratibus dabit eſſe ſecundos.
Vix alia eſt tanto quæ limite diſtat vt ipſa
Quæ Zephyros inter Boreamq; Islandia latè
Proſpicit, ac gratos deducit ab æquore piſces.
Huitſarco tamen hanc conſiſtens rupe tueri
E' liquido potes: interea cum luce ſerena
Huitſarkum à longè prendat Gronlandia montem,
Luminibusq; notet culmenque è culmine ſignet.
At ſi quæ ex alijs habitata eſt caſibus: inde
Id veniſſe putes, quòd tempeſtatibus acti
Interdum piſcatores ignota petiſſent
Littora, & in medijs comprenſi fluctibus oras
Nunc has nunc illas, quo ſe tulit impetus, eſſent
Delati. primis igitur cum lintea ripis
Subijcerent, fixiſſe caſas paulumque moratos
Aſſueuiſſe locis: tumidas neq; rurſus in vndas
Tentandos curſus tentanda nec æquora remis.
Sic manſiſſe. vſu mollitas deniq; terras
Atq; auctam numero ſobolem: quæ deinde parentum
Moribus aut melius quiddam aut ſceleratius addit:
Quantum vel terræ moueat clementia, vel res
Ipſa animis ſubdat vel conſuetudine firmet.
Hac igitur terra omnis habet ratione colonos.
Quæcunque à ſolido ſemota eſt corpore natos
E' ſe nulla viros gignit. Sententia ſemper

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Manſerit, eſſe homini ſemen cœleſtibus auctum
Spiritibus: quo ſe generis fundamina noſtri
Fonte mouent. alia ſeries nec origine conſtat
Nec veniunt iunctis humana hæc pignora brutis.
Quanquam patre viro, bruta ſed matre ſceleſto,
Olim auſu notum eſt, geminos ita deniq; natos
Eſſe mares, vt vterq; hominem vitamq́ue referret
Humanum, nullo penitus diſcrimine: ne quis
E genitore neget formam plerunque, quod eſſe
Tete hominem eueniat, ſic demum exiſtere: mater
Vt tenui ſaltem conceptum iuuerit vſu:
Materiamq́ue ferat quæ deinceps pabula nato
Reddat, & in iuſtos conceptum prouehat artus.
Et tamen id monſtri ſimile eſt. natura repugnat
Moribus his, cœlumq́ue nefas & crimina damnat,
Suppliciiſq́ue ferit pœnisq́ue piauerit auſum.
Aſt Archipelagi quis cinctas æquore terras
Dixerit? haud numeris locus eſt, ita ſparſa per omnem
Inſula ſe Pontum cumulato littore pandit.
De noſtris loquimur. Vaſto firmata profundo
Albionum populis habitata frequentibus, inter
Ingentes Pelagi fluctus iacet: Anglia cuius
Iam dudum partem vicináq; littora cepit.
Anglia, diues opum ſtudiiſq́ue aſperrima belli
Nec virtutis egens, qua ſe tueatur in armis,
Deiiciátq; feros coniunctis viribus hoſtes.
Dii faciant, populum ne quæ diſcordia frangat,

Ne quid priuati gentem ſtudijúe odijúe
Diſtrahat, aut animos diſpar ſententia vellat.
Sanè equidem ſi quæ maiorum geſta tueri
Cura ſit, ac Veterum libeat ſpectare parentum
Conatus: equidem fœlici ſecula curſu
Hæc tibi lapſa putes, quæ Virgine Principe tanta
Sub virtute fluunt tranquilláq; culmina ſeruant.
Illa Deum complexa animis ita temperat omnes
Imperij curas, ita vincula cuncta beatæ
Pacis in haud dubios inducit prouida nexus:
Ut verè magnis iam laudibus Anglia multas
Europæ gentes hæc ob faſtigia vincat.
O vtinam ſapias, nec te patiare prophanis
Unquam etiam ſtudijs cæca in conamina pelli:
Internis vt te diſſentio motibus iſtuc
Traxerit: vt fœdo pacem ſtratagemate rumpas:
Turbandamq; putes odijs, quæ maxima pro te
Virgo pericla ſubit: florentem vt viribus, vſu
Excultam, ac læto cumulatam fœnore reddat,
Et patrias nullis ſubmiſerit hoſtibus vrbes.
Quin concede Dijs potius, manifeſtáq; cœli
Argumenta vide: ne quid dubitaueris illam
Præſidijs tandem ſublimibus vtier, vt ſe
Seruet, & hoſtiles virtute obtriuerit enſes.
Sanè equidem veteris ſi mundi inquirere faſtos
Scrutaríq; velis, planè auctos omnibus eſſe
Comperies luctus, quibus Anglica culmina curæ

Perturbare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Perturbare fuit: qui fortè negocia poſtquam
Regibus obtruſere, Ducésq; laceſſere bello
Tentarunt, proprijs ſunt tandem fraudibus ipſi
Subuerſi & facinus ſcelerata morte piarunt.
Aut quid tu tali dubites pro Virgine mortem
Excipere, & magnis etiam connitier auſis,
Vt ſit ſalua? quod illi vni coniuncta ſuorum
Vita ſalúsq; ſiet. Studeas quapropter honeſtis
Anglia pectoribus Reginam ita cingere, ne quid
Ciuiles populi motus, internáq; gentis
Vulnera permetuat. ſi pòſt extena neceſſe
Ferre pericla ſiet: nihil eſt rationis in illis,
Cur doluiſſe velit. quem iura domeſtica ſeruant,
Vix perdunt externa: nihilq; horreſcat ad arma
Alterius, ſua quem firmum cuſtodia reddit.
Quin exempla etiam ſi quid fortaſſe mouerent:
Aſpice Margretam cui Dania paruit. illa
Imperij quantum & regnorum ſceptra tuetur,
Fœlices dedit eſſe viros, populiſq; quietem
Præſtitit ac bello violentos obruit hoſtes.
Vt verò fatis ceſſit defuncta, quid illud
Eximium virtute caput gratumque Tonanti,
Excepit cladis? quo ſe diſcrimine totus
Oppreſſit Boreas, quæ nata pericula regnis?
Fœmina, cura Dei eſt: ſi quæ fortaſſe Tonantem
Curat, & è veris implet virtutibus æuum.
Hanc cum multi etiam ſtudijs vel perdere certant

Vel

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vel differre dolis, Superi auxiliantur: & illud
Infirmum genus & contemptum ſæpius, auget
Laudibus ac gratis plerunque euentibus ornat.
Elizabetha igitur, cui ſeſe huc vſq; parentis
Aetherei fauor inclinat, cum candida ſpectat
Vna Deos animumqúe gerat ſub corde virilem,
Confidat ſuperis, rupéſq; interrita mentem
Conſilijs ſubdat, nec quicquam cedat acerbis
Multorum ſtudijs. aderit Deus alta colenti
Numina, & ipſe vias victricibus explicet armis.
Tum verò & ſortem quamcunque adducere cælum
Et fortuna velint, euentu fortis & auſu
Expectet, magnæ ſibi laudis conſcia: vel quòd
Impietate vacet, rel regni commoda ſpectet,
Vel caſtas animo ſic ſit complexa Camœnas:
Vt virtute quidem melius nil duxerit: vni
Cui ſua præſidio famamqúe & pectora iungat.
Et potiora quidem ſperet: cum cœlica rectum
Fata ſciat, quamquam exagitatum ſæpè tueri.
Sed ceſſo. libuit medijs inſerta libellis
Nomina complecti, noſtriſqúe inducere Muſis
Elizabetham: vt cum ſtudeat benè velle mereri
De cunctis, portúmq; adeò ſe præſtet honeſtis
Aonidum ſtudijs, & amet dicenda poëtis:
Illuſtri ſpectanda loco rutularit: & vnà
Cum claris Venetum populis, ſanctóq; Senatu
Has inter puppes æternáq; ſcripta legatur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et nunc illa quidem Albionum pars optima terris
Regnat, & egregio moderatur acumine, quam ſors
Obtulit, ac vero diſtinxit limite gentem.
Cætera Scotus habet rigidis gens ædita Pictis:
Prælia ſueta ſequi cum ſe ferat vſus, & acres
Adglomerare manus patriamq́; ac rura tueri.
Quin age circuitu latos Hibernia campos
Hîc complexa, feris innoxia paſcua diti
Explicat aruina, gregibusqúe ea gramina pandit
Quæ multo latum diſtendit ſumine ventrem.
Inde iacent etiam numeróq; ac limite ſparſæ
Orcades. Hinc miro Farenſes colle bonóq;
Exundant, vario quæ ſectæ corpora tractu
Continuos dirimunt infuſa per æquora montes.
Ultima Parrhaſias Islandia ſpectat in Arctos,
Sub Caurum porrecta gradus: non diuite tantum
Læta ſolo, cum vel cæcis occluſa cauernis
Sulphura flaua coquit mixtíſq; extrudit arenis:
Pabula vel lætis pecori gratiſſima pratis
Fundit, & oppletas inueſtit gramine valles:
At vicina etiam ſolidos cum littora piſces
Nec numeris nec menſura certíſue ferendos
Nominibus ſtipat, ratibusqúe immittere certat.
Prouentu ſiquidem vario cum exceſſerit, vno
Hoc vincit tamen, & cumulato piſce redundat,
Aucta opibus fortéſq; animis complexa colonos;
Cuius & in Notios quæ pars iacet obuia ventos

Aeſtuat æternis per aperta foramina flammis
Eructátq; globos cinerum, trepidóq; boatu
Hecla tonans inter ſparſa pice ſidera lambit.
Sed quid ego Oceanum latè ſequor? illius vndas
Illius & populos & cinctas æquore terras
Quis canet? immenſum eſt Pelagi decus: attrahe tandem
Vela manus clauſoſq; ſinus & regna ſequare.
Ergo vbi progreſſus Gades ſuperaueris, & te
Interiora vident iam tendere lintea ponto:
Plurima ſub leuam ſeſe Inſula firmat, & altæ
Adiacet Europæ cognatáq; rura tuetur.
Sors ea prima fuit Balearibus: inclyta fundæ
Gens vbi ſe ſtudio & iaciendis ſtrenua pilis
Eminus exercet, poſitóq; in præmia ſigno
Haud dubijs metam ſatagit contingere dextris.
Hæc ſunt multiplici quæ regna cuniculus olim
Infeſtaſſe malo fama perhibetur, & in quas
Tela manúſq; feras Latij præſtare Quirites.
Corſica dehinc Tuſcas ſpectans è fluctibus vrbes
Grata racemiferis extrudit vina corymbis
Exundátq; mero. Soleæ veſtigia tandem
Sardinia oſtendit: quæ quantum incluſa beatis
Littoribus iaceat Sardoo obnoxia Ponto:
Tantum Afros Latióſq; inter ſe terminat orbes
Aequoreóſq; videt pulſare ea littora fluctus.
Hæc neq; terra lupum patitur, neq; triſte venenum
Sentit: at inſigni lætiſſima ſubijcit aruo

Paſcua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Paſcua nec ſæuis aſpergit gramina ſuccis.
Mox Siculi ripas & inhoſpita limina regni
Puppe leges. iacet Oenotrijs obnoxia quondam
Terra viris: vbi tartareis impoſta cauernis
Ignibus Aethna furit flammiſq; perennibus ardet.
Fertilis hinc Melite pandit iuga montibus, acri
Læta manu iuuenum, duros quæ funere Turcas
Reppulit, atq; recens inſcripſit ſanguine bellum.
Sanè autem Virtus hîc factis edita famam
Spargit, & ad ſeros veniet cum laude Nepotes.
Quid Corcyrenſes Epiri in littore dicam?
Quidúe Cephæleniam? quid Ulyßis regna diſerti,
Paruam Ithacam, at magnis olim conatibus auctam,
Auctam armis meritóq; viri conſtante celebrem?
Fluctibus hîc etiam medijs nemoroſa Zacynthus
Tunditur. Hîc Strophades Tegenuſaáq; lenta, Cythera
Multiplicéſq; aliæ circum ſua littora tendunt,
Ioniumáq; explent numero mare, Græcia qua ſe
Et Peloponneſus madidos effundit in Auſtros,
Obiectátq; latus pelago fluctuſq; moratur.
Creta Iouis magni generoſa nobilis vua
Cretæo iacet ampla ſalo: qua Dedalus olim
Dicitur incluſo ſtruxiſſe palatia Tauro,
Et nimium cæcos cumulaſſe in mœnia flexus.
Hanc vbes centum, monumenta illuſtria quondam
Incoluiſſe ferunt: belli quo tempore Troiam
Aut ſcelus aut fatum ſeriéſue obnoxia cœlo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Intulit in cineres, ſtrauitq; libidine muros.
Tum ſua Phœnices propter mœſtiſsima Cyprus
Interiore iacet pelago. Rhodus inde profundum
Hinc atq; hinc tumidis patitur mare fluctibus, omni
Re quondam fœlix, nunc ſæuos paſſa Tyrannos
Exulat, ac triſti premitur ceu barbara vinclo.
Quidúe ego Carpathum, quid Cyclades ordine dicam
Plurima quæ Aegæo diſperſa eſt inſula ponto?
Hîc Paros, et Naxos, Cythnosq́; et Amorgus & Andros
Coa, Claros, Pathmos, Mycanos, Samos inclyta, Syros
Et Tenos, & Delos, medium quæ dicitur orbis
Fixa tenere locum: tantumq́; Oriente relicto
Heſperias ſpectare plagas, quantum inde recedens,
Eois infert iterum ſua limina regnis.
Id Ioue monſtratum priſci memorare, volucres
Qui poſtquam cœlo geminas emiſerit, ortu
Alter at Heſperijs vt deuolet alter ab oris,
Aequato tandem iunctos hac ſede volatu
Conſtuiſſe moram finemq́; laboribus. inde
Aſſertum tandem eſt medio ſub vertice mundi
Deliacos campos & parua ea regna locari.
Hinc Chius, hinc Lesbos: hinc aſpera fluctibus Imbrus
Taſſus & ætherea Lemnos ditiſsima terra,
Atq; Eubœa citos pelagi quæ paſſa refluxus
Diues ab Euripo mutarier æquora cernit.
Eximijs igitur regnis Euxinus abundat
Pontus, & has lato complectitur vbere terras

Exciſosqúe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Exciſosqúe freto dirimit per littora campos:
Natura ludente mari, cum iungere poſſet
Limina & in ſolidos hæc ſtringere corpora montes.
Nunc age Cimbriaco diſparſas æquore terras
Gotthaniq; ſinus ſobolem dicemus, & oras
Præcipuis auctas diuerſa in ſemina donis
Fœcundumqúe ſolum: dites vbi prata coloni
Et ſua farra legunt plenasqúe dat Inſula meſſes.
Primùm igitur noſtro cum peruia limina Ponto
(Quà ſe Nortuagicis obiectat montibus alto
Scaga mari, & dubias ſub fluctibus abdit arenas)
Puppe tenes, rutulumqúe petis loca ſparſa ſub ortum:
Cleſſariam primò tibi ſors dabit, illa coquendi
Purgandiq; ſalis ſtudio cum ſe exerat, amplo
Cimbrica rura bono magnisq; è fructibus auget,
Cum ſua Viburgum demenſa feruntur in vrbem.
Hinc ſeſe infeſtis oſtendit Anhaldia ripis
Aduerſo metuenda mari: Scopuliq; latentis
Nota malo: qua ſæpe rates impingere ventis
Naufragiumqúe pati iactumúe vrgere neceſſe eſt:
Ni ſolers gnarusqúe loci latitantia ponto
Damna gubernator multo iam norit ab vſu,
Deflectatq; ratem, ſtudióq; pericula vitet.
Mox Cauro vectis apparet in æquore diues
Inſula: maiorum ſtudijs quæ cognita priſcæ
Nomina laudis habet: pingui quòd fertilis aruo
Inſata multiplicem reddat Sialandia meſſem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hanc circum vario ſparſas curuamine terras
Ambituq; iacere dedit natura. Superbam
Oſtendit primùm fœcunda Fionia gentem
Ingenijsq; animisq; altam : cui cura lepósq;
Multus ineſt faciesq; nitent & corpora præſtant,
Hanc Taſſus, Suinæq; ſolum pulſatáq; multis
Fluctibus Umma videt. Iacet hinc Lollandia glebis
Mollior, ac facili laudata prioribus aruo.
Falſtria vicino quam ſpectat ab æquore, celſam
Mox cœlo videas inferre cacumina Monam
Tergoráq; alta ſequi rupesq; attollere ponto,
Et procul immani faſtigia mittere dorſo.
Hinc Amagerorum campos Salisholmia tractu
Proſpcit Eoo. teretem mirabere Huenam
Heſſoliamq; ſimul. tum Scyrum vectus & Helmam
Prætereas: donec poſt paruam Enelagia Tundam
Exerat obliquum pelago caput. Illa parandi
Gnara ſalis, medijs eiecta fluctibus alga
Molitur cineres: paſti quibus ardua porci
Tergora condieris: ne quid putredine victa
Deficiant: Iacet hinc ſacris Ebelonia ſyluis
Cognita. Sed quis te cultam Samſonia vatum
Prætereat? quid enim? medio vetus inſula ponto
Ardua fluctiſonis obiectat brachia ripis,
Infuſumq; ſalum ſub tempeſtatibus altis
Frangit, & in tutos immittit carbaſa portus.
Inſula culta viris, priſcisq; obnoxia bellis

Mutua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Mutua cum premeret patrios iniuria reges
Cognataſq; manus in amicam mergeret aluum.
Opportuna quidem vectandis illa maniplis
Terra iacet: duplici cum promontoria colle
Hinc atque hinc medijs regnorum ſpectat ab vndis
Roſnenſeſq; caſas Helneſiaq; arua tuetur.
Arcibus illa aliquot tellus rigidiſsima quondam
Multis tuta fuit, veteris quæ nomina famæ
Seruat adhuc ſtructura: locoſq; ea raudera complent
Sacra viris: qui nec maiorum vomere ſedes
Nec violant ſæuis monumenta extantia dextris.
Hic Brattenſpurgum patrij veſtigia belli,
Et Veſpurgiacos mirabitur aduena muros
Aequatáſq; ſolo rupes, & merſa ruinis
Culmina: deiecto quæ lata per arua nitore
Ingeſtos olim ſiliceſq; & ſaxa ferebant,
Eximioſq; dabant attollere in æthera vultus.
Scilicet incerto properant mortalia caſu
Et firmæ nil ſortis habent. quæ clara vetuſtos
Conſpexere dies ceu præcipitatata moleſto
Turbine voluuntur lapſumq; ruentia ducunt.
Sordida deterſo capiunt ſua lumina cœno
Fulgoremq; è clade petunt. Deus vtraq; miro
Temperat euentu. breuis eſt quæ maxima ſpondet
Hora viris, duro cum ſint obnoxia fato
Inq; ſuas iterum cedant collapſa ruinas
Hinc humiles tendit pelago Langlandia campos:

Quos vltra tum ſparſa mari quàm plurima paſſim
Inſula ſe pandit: quæ curua per æquora multos
Suſtinet impulſus, ripáſq; incingit arenis.
Aut quis piſcoſam luſtrans mare neſciat Arram
Quisúe Alſam, Polámq; breuem? Fœmaria pingues
Dilatat glebas tritici bonitate. deinde
Rugia, Borgholmum: tandémq; Oelandia regnis
Addita Gotthorum. poſtremo fixa receſſu
Terra iacet pecorum diues Cotlandia: cuius
Et varios caſus, & inexplorabile fati
Urgentis pondus ſi quis miretur, atrocem
Fortunæ ſortem & mntuenda volumina cernet.
Illa quidem ſubito quondam velut ædita partu
E' medijs emerſit aquis, inſtárq; natantis
Menſuram pilei ſuperas produxit in auras
Denudátq; ſolum. tum ſubſidentibus vndis
Littora promouit ſparſitqúe per æquora ripas.
Ut verò populis habitari cepit, in illam
Gotthica translata eſt ſoboles: quæ ſtirpe paríq;
Succreuit numero tantiſper, vt extera tandem
Quærere regna foret varias compulſa per vrbes.
Hinc clara emporio Cotlandia floruit: aſt iam
E' veteri multum poſuit ſplendore, iacentqúe
Merſa ſuis iterum nunc culmina celſa ruinis,
Atq; exhauſta gemunt opibus, fatumqúe ſequuntur.
Hæc ſuper Oceani terris, ſparſiſqúe profundo
Littoribus. Salſos pelago quæ cauſa liquores

Miſcet,

Miſcet, & ex acri ceu terminat æquora guſtu,
Inquiram. non me neq; dura calumnia Vatem,
Nec rixæ impellant: vt non quæ recta locuti
Sunt etiam veteres, mihi conſectanda putarim,
Et iam nota probem. dubijs res iſta loquelis
Feruet adhuc, nulliq; ſatis ceu prenſa Mineruæ
Sollicitat mentes atq; vlteriora moratur.
Credo ego primæuo rerum à fundamine ſalſos
Hos pelagi fluctus, & amaro exiſtere guſtu
Nerea regna. graui fortaßis iudice tantum
Cenſuræ expediam. quis enim ceu merſa tenebris
Intulerit luci? ſatis eſt ſi conſona vero
Perficiat tandem Muſæ labor. Optima res eſt
In dubijs ea prima ſequi, quæ carpere iuſta
Haud aliquis ratione poteſt. qui condidit, ipſe
Nouit opus rerumq́ue aditus & prima tuetur
Semina. mortali fas ſit neſcire deorum
Conſilium, & minimè factorum reddere cunctas
Poſſe operum cauſas. Nam qui rationibus vſtæ
Contendunt terræ ſalſos inferre ſapores
Oceano, quamuis aliquam fortaſſe videri
In medium poterint rerum deducere cauſam:
Haud tamen in metam collimant prorſus. at iſtos
Error agit. Quid enim? miſcerier humida ſiccis
Ignéq; torreri terras ſolidámq; peruri
Materiem: quò ſe tandem ſapor abdat amaros
In guſtus acréſq; ferat ſitientibus vndas:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

An ſatis Oceano perſuaſerit, æquora ſalſos
Propterea fluctus auſteráq; regna tueri?
Vnde etenim flammæ vel aduſtio prima recenti
Protinus exarſit mundo? producta per omnes
Incedit natura gradus ſpacióq; mouetur,
Nec ſua præcipiti complerit munera lapſu.
Deniq; percelli ſi noſtra caloribus arua
Torreriq; putas, ita rem tua verba ſequuntur,
Extantes pelago terras atq; obuia cœlo
Culmina ſi narres & aperta cacumina dicas.
Nam quæ tota latent cumulatis obruta lymphis
Aequoreiſq; obducta vadis, vbi denſa marini
Regna tegunt fluctus incluſáq; viſcera mergunt:
Nil ea tuta pati nullóq; caleſcere Phœbo
Credibile eſt. obſtant graſſanti frigora cœlo
Impediuntq; æſtus nimios: nec in æquora totis
Permittunt facibus ſuperos penetrare calores,
Aut cœli rapidos pelago miſcerier ignes.
Nox aduerſa gelu reficit: quæ mœſta priorem
Oceano formam natiuáq; iura reducit,
Frigoribusq́ue iterum veteres maris induit vndas.
Tum verò fluuios denſo quis in æquora ferri
Neſciat impulſu? vaſtum eſt quod fluctibus agmen
Irruit in Pontum, præcepsq́ue ſub ardua tendit
Regna ſali, gelidos vbi miſceat alueus amnes
Oceano, penitusq́ue algentis murmura regni
Seruet, & æternum ponto det ineſſe rigorem.

Præterea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Præterea obliquis ſua per veſtigia Solem
Contingit plerunque rotis incedere: cum ſe
Efferat in varios ſinuati tramitis orbes,
Diuerſoq́; premat cœlorum culmina tractu.
Non igitur facibus pugnarit in æquora rectis
Immittétue freto radios, qui lege modoq́;
Impulſuq́ue ferant calidis rata fulmina lymphis.
Sed minor obliquo virtus, minor actio Soli eſt,
Ingentes Pelagi quàm qui feruoribus vndas
Implicet, ac calido penitus ſubmiſerit igni.
Vt nihil humorum vireſq́; & acumina dicam,
Quæ ſimili prohibent terras virtute peruri
Quas mare cunque tegit fluctuq́; inuoluit amaro.
Quapropter qua tangat humum condátq; ſub vndis
Oceanus, nullis cœlorum & lumine flammis
Torreri ſinit, aut violento exurier æſtu.
Tum verò incluſis quæ ſæuit flamma cauernis
Sulphureóſq; halitus incendiaq́; effera voluit,
Radendo nihil in Pontum congeſſerit, vnde
Hic ſapor ambuſtis infecerit æquora cruſtis.
Siue quòd iſta ſalem tinctura haud auxerit: vndas
Siue quòd haud etiam cunctas ita mouerit, vt ſe
A dulci celeres in amara volumina vertant.
E' latebris igitur nihil effluit, vnde ſaporem
Contrahat Oceanus ſubigatq́; in viſcera ſalſum.
Qui verò extantes ſupra mare forſitan vri
Torreriq́; putant terras, atq; inde calore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Subuulſas partes eraſaq́ue corpora paruis
Diffluuijs quocunque modo delabier, & ſe
In mare præcipiti fluitantia voluere motu:
Ingenio certè indulgent, & magna ſecuti
Deficiunt. noſtræ hæc ratio eſt virtutis, & alti
Conatus. tamen haud nihil hij dixiſſe videri
Tum poterant, dubias certa experientia ſi non
Euertat cauſas obſcuráq; dicta refellat.
Nam locus exceßit nuſquam ſtatione, minor nec
Viſitur & nullo tenuantur vertice montes,
Nec iuga diffluuijs abſumpta fatiſcere cernes.
Quidúe etiam limum, quædam quem flumina denſo
In mare nonnunquam ſubuoluunt gurgite, dicam?
Quas quisquis fæces guſtando exploret & omnes
Exigat ad ſenſus, nec aduſtum inferre palato
Percipiet, ſalſum nec prodet lingua ſaporem.
Terrea materies vehitur, quam flumen ab alueo
Egerit, ac totis extrudit in æquora ripis.
Torrida non igitur vel aduſta reſegmina pontum
Inficiunt. alio deduci fonte neceſſe eſt
Salſa maris, quacunque equidem ratione per vndas
Sparſa ſient, vitreoq; dabunt ſe fundere regno.
Sanè ego confuſi quondam veſtigia mundi
Iſta reor: mixtis elementa vbi cuncta figuris
Seſe inter maſſa pugnabant clauſa recenti,
Communéſq; agitare vices: contraria cum ſe
Intulit aduerſis natura laboribus: vt fit

Frigida cum pugnant calidis, humentia ſiccis,
Seq́; iterum miro ſociant coëuntia nexu.
Hos igitur melior poſtquam natura tumultus
Suſtulit, ac variam dirimunt noua fœdera litem,
Flamma petit cœlum, tellus fœcunda reſedit
In medio: circum mollis ſua littora pontus
Per varios flexus, per tot diſcrimina tendens,
Elutas elementorum, purgamina maſſæ
Totius, occulto ceu rerum ſemine prendit
Relliquias ſeruátq;: atq; omni in corpore fæces
Miſcet, quo demum ſapor iſte increſcit amarus
Et ſalſus: qui ſiue omnes ſubeuntibus vndas
Spiritibus conſtet: ſeu qua ratione quibusúe
Præſidijs alijs ſibi continuetur, haberi
Sanè exploratum nequeat. tamen arbitror ipſum
Eſſe opus ætherei mandatáq; prima Tonantis:
Qui veluti terras poſcebat ſemina: piſces
Aequoreo iuſsit cumularier vbere: cœlis
Impoſuit lucem, noctésq; diésq; diremit:
Sic mare ſalſorum fontem iubet eſſe: regique
Hanc vndis animam, quæ ponto eſt maxima. nam quid
Diuiſas alio cenſiſſet nomine lymphas,
Quàm quo fortè prius dictæqúe auctæqúe fuiſſent:
Ni quod præterea munus iunxiſſet aquaï
Fluctibus, atque alios id confirmaſſet in vſus?
Hanc is congeriem mare cum vocat, inde vocato
Extitit æterno ducenda ex ordine virtus:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quæ non deficiet, quantumcunque auferat omnis
Aut Phœbi calor, aut hominum ſolertia iugi
Penè labore ſalem. Nam ſpiritus intus agendo
Semina prima fouet: quæ cum mandata ſequuntur
Factoris, iam exhauriri nequit vnda, nec vndæ
Incumbens virtus, occultáue ſemina tolli.
Non alio res tanta venit vel fonte, vel vſu,
Quocunque inflectas Sophiæ ad parablemata mentem.
Cùm certum ſiet, inijcio ſalſugine tinctum
Eſſe mare & ponto ceu vitam ſalſa tueri.
Hæc ratio eſt, nihil immundi cur vnda mariſq́;
Pertulerit ſinus: extemplò ſed in alta cadauer
Littora putreſcens adigat, ſummisúe natare
Fluctibus, & nullo faciat ſubſidere fundo.
Anné etiam impreſſos agitatio crebra ſapores
Auxerit? hæc nuſquam Oceani conſiſtere lymphas
Ociaq́; alta ſequi, nec aquas ſinit eſſe quietas.
Continuo ſed agi motu, quo pignore ſalſos
Multiplicat fluctus, & amara volumina denſat.
Deniq; conſeruat liquidas ſalſugo procellas
Et motus, ne quid putreſcant æquora: quod tum
Fortaſsis fieret, ſi res immota quiete
Perpetua dulces tantum guſtantibus vndas
Offerat, ac ſalſos penitus neſcire liquores.
Ergo quis æterni ſatis admirere Tonantis
Conſilium? magna eſt diuûm ſapientia, qua ſe
Pectoribus ſinuant noſtris, & commoda diti

Lance

Lance per humanas ſpargunt redeuntia gentes.
Quid verò? ſi quis nonnullam fluctibus hiſce
Ex mineris cauſam, & latè tingentibus vndas
Eſſe putet? non auſim equidem ceu vera profari
Iſta etiam. nihilo tamen id minus arbitror omni
Haud ratione quidem, rerum ſi ſingula ſpectes,
Poſſe carere. nec id fruſtra eſt ſalſugine totos
Interdum fontes riuoſq; enaſcier. altos
Quin etiam montes, ceu marmora grandia ferre
Et præſtare ſalem. pars terræ eſt ergo ſalinis
Obſita, & ex adytis lambendo eradier iſta
Semina contingit: quæ motu inferre ſapores
Et virtute ſolent. rem non affirmo: Camœnis
Hanc ego ſolerti cenſendam lance relinquam.
Hic amnes fluuioſq; addas: quo fonte, quibusquè
Præſidijs tantos in ſecla vberrima curſus
Exantlare queant, ripiſq; manentibus vndas
Voluere perpetuas dulceſq; effundere lymphas.
Res ea multorum curaſq; & ſedula torſit
Pectora. nec dubium eſt plures, ne vera ſequantur
Simplicibus deſcripta notis, obſcura procaci
Finxiſſe ingenio, mediam vt luſtraſſe Sophia
Atq; imos penetraſſe ſinus, totoſq; videri
Ex Helicone queant latices aſpergere muſis.
Hinc ea ſpiritibus ſub aperta foramina miſsis,
Aëreque in tenues reſoluto & flumina guttas,
Unda venit: ſolidum quæ præbeat amnibus orſum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Materiamq́; fluentis aquæ, ſemperq́ue manentes
Gignat, & æterna fontes ſcaturigine ſeruet.
Quæ quantum vero ſententia priſca repugnet,
Natura vel teſte vides. mirabere forſan
Huc tandem cæcos animorum impingere motus,
Et quæ falſa ſequi manifeſto in lumine poſſe.
Ingenij ſed enim quid non dubitantis & acti
In præceps ſtudij tentarit cura? capeſſunt
Obſcuris multi ceu facta per ardua laudem.
Ducitur & certè plerisque ea gloria, ſi quod
Perplexum cernunt, defendere fortiter audent.
Omnia, res certa eſt, naſcuntur flumina ponto,
Quæ ſibi per tenues & hiantia clauſtra meatus,
Aut molita vias aut hercle ſecuta, feruntur
In noſtrum magnis delata impulſibus orbem.
Eſſeq́; nil fluuios vitrei niſi pignora regni
Et natam Oceano ſobolem: cui plurima ſubtus
Unda ſcatet, quæ ſe æterno de Gurgite latè
Eycit, ac ſtabiles ſubmittit in æthera curſus.
Utq́; innixa baſi tellus iacet, actáq; nuſquam
Cedit, at in ſolidos ſua pondera colligit artus
Atq; immota manet: Sic mens diuina liquentis
Oceani molem per aperta foramina volui
Iuſsit, & haud dubios telluri immittere fontes.
Hos agier pelliq; vndis latéq; vagari,
Et ripas proferre dedit, quacunque ruendo
Apperiat ſibi lympha vias motuq; feratur.

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ipſa quidem humanam cum ſcirent numina ſortem,
Vtq́; neceſſe foret cunctis animantibus vndas
Præberi dulces & pocla recentia fundi:
Hoc ſanè pacto fluuios à corpore magni
Voluier Oceani patulasq́; exire ſub auras
Iuſſere: æternis vt curſibus vnda meando
Inferret dulces ſua per veſtigia lymphas.
Et certè hæc fluuijs ſatis vna eſt cauſa, mouendo
Vt ſeſe ſubigant, iugiq́; è fonte perennes
Continuent lapſus ſuperásq́; ferantur in auras.
Hæc etenim magni eſt opulentia maxima cœli
Hæc ſuperum manus, & diuorum prima poteſtas,
Vt ſua ſydereo rata ſint mandata parenti.
Et tamen in rerum ſi quis fortaſſe tueri
Iura modumq́; velit, cauſam quoque dixerit eſſe
Hanc mundi formam: quæ cum ſeſe æqua rotundos
Induat in vultus teretésq́; aſpiret in artus,
Omnia ſunt ſurſum, quantum tu lumina cumque
Intuleris mundo, Superûmq́; palatia cernas.
Quod pedibus calcas imum eſt, oppoſta iacebunt
Omnia, tantiſper centro dum vindice limes
In duo ſupremos æqualia diuidat orbes.
Haud igitur mirum eſt gelidos enaſcier amnes
Et loca certa ſequi, cum forſan origine multùm
Excelſa ſuperáq́; fluant: vbi prima cauernis
Mzteries ſeſe patefacto fonte recludit.
Hæc auras poſtquam ſemel eſt ingreſſa, ruendo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Se ſubigit, quantumqúe loco natura meatus
Librat, & in certos aſtringit flumina tractus,
Oceano tantum ſubmiſſa liquentia pergunt,
Seqúe ſibi extrudunt, lentéq; accliuia captant.
Deniq; cum vacuo non ſit locus, actus ab alto
Alueus Oceano ſpacijs ſe promouet, antra
Perficit, ac diti fluuiorum gurgite regnat.
Sicut at inijcio liquidos mare prouomit amnes
Inqúe nouos pulſu fundit ſua viſcera fœtus:
Sic patrium repetunt iterum mare flumina. ceu nos
Gignit humus, recipitq; ſuos: vbi fata ferendo
Vicimus, ac dubias clauſerunt funera noctes.
Et tamen vt nuſquam tumulis excedere terras
Mutariq; vides: fluuijs ita littora nuſquam
Perrupiſſe fretum, ſubuerſaúe limina cernis.
Miraclo certè rerum, niſi pontus eaſdem,
Quas prius effudit, cumulato gurgite rurſus
Deuoret altus aquas, priſcosqúe relata ſub orſus
Flumina continuis obnoxia motibus addat.
Nam quod propterea mare non exundet: ab illo
Quòd ſua perpetuo Sol pabula ſubuehat igne,
Et vapor aßiduus cœleſtes ſcandat in orbes:
Materies qua multa ſalo ratione modóq;
Decedat: ſpacijs ne fortè excreuerit, & ſe
Effundat ripis oppoſtáq; littora rumpat:
Frigidius ſanè eſt, quàm cui ſubmittere ſenſus
Veráq; dicta velis. ſed enim mare littus & orbis

Clauſtra

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Clauſtra locumq; ſui conſtante ex limite ſeruat:
Quòd quantum accedat fluuijs ſubeuntibus iſtuc,
Tantum hac excedat, terram cum pontus hiantem
Permeet, ac iugi cumularit inania farto.
Has natura vices æternáq; regna fluentis
Oceani, primis exorſa ætatibus vrget:
Vrget aquas, pelagóq; amnes detrudit, & inter
Plurima terrarum ſpiramina, perq́; cauernas
Perq́; vias, perq́ue acta mari velut oſtia mergit,
Continuatq́ue ſuos per operta foramina motus.
At verò longa plerunque ambage proculq́ue
Detruſis in cæca vijs faſtigia cum ſe
Exonerent lymphæ, varijsq́ue meatibus inſtent,
Viſceribusq́ue ſoli ceu percolata ferantur
Flumina: nequicquam dubium eſt, quin purior vnda
Fundat aquas, ſalſosq́ue ima tellure ſapores
Exuat ac poſitis tum dulcia fœcibus extent.
Non etenim ex alio fœlix natura fluentes
Principio molitur aquas. fons omnis abyſſi
Oceanus, fluuios è ſe ceu germina fundens
Parturit æternis obnoxia curſibus. aſt hos
Non dubium eſt varijs latebrarum flexibus intra
Terrarum ambages, & cæca errantia ferri,
Curuatiſq; vijs non centro alludere: ſed ſe
Sub laterum coſtas obliquo prorſus hiatu
Ingerere, extremas donec progreſſa ferantur
In curſus metas, patefacto vbi ianua clauſtro

Deducit fluuios noſtrumq; emittit in orbem.
Quod ſi quædam etiam peregrino infecta ſapore
Accidat enaſci: ceu cum guſtantibus acrem
Alueus humorem, vinoúe & alumine tinctum
Præbeat: aut pingui cum ſe vnda bitumine, vel cum
Flumina ſulphureo gradientia mittat odore:
Iſta locis contracta putes, per quæ amnis in auras
Tendit, vt in noſtrum properet liquidiſsimus orbem.
Cum ſalſum poſuit, fluctu peregrina capaci
Externósq; bibit clauſa in tellure ſapores,
Quósq; ſolo recipit guſtanti prodit odores.
Nec ſcio an vllo etiam rerum magis ordine ludat
Naturæ ratio: tantum eſt diſcrimen in vndis,
Tantum ſecreti laticis, tantumque benigni
Motus: vt nuſquam videas ceſſare, beatis
Quin mortale genus plerunque effectibus ornent.
Ille ſitim ſedat, verum aſperat iſte: colores
Hic variat, ſolidum cogit lapideſcere lignum
Alter, at alter aquis quæcunque rigentia mollit.
Hic ſuccenſa necat, flammásq; extinguit: at idem
Non prius ardentes incendit lumine flammas,
Aduerſoque ſuos ſub acumine promouet ignes.
Quæ Gemmas, quæ grana vehunt quid flumina dicam?
Aurum Ganges alit, dat idem Tagus: inclyta Rheno
Materies olim, priſcísq; nitebat arenis.
Tandem quæ crebros generarit cauſa receſſus
Acceſſusque maris; refluique occaſio ponti

Quæ fiet, & quantos patiantur littora motus,
Scire iuuet. Sedenim res iſta feracibus olim
Ingenijs, quamquàm curáq; ac arte valerent,
Impoſuit: latet obſcuris inſcripta tenebris
Tota, nec in cunctas deſcendunt pectora cauſas.
Cumqúe alijs aliud viſum eſt, dubitatio mentem
Turbat, & incertis ſeſe agitat ſententia dictis.
Vna eſt, humano quam prendere lumine poſsis
Ingenijqúe bono. reliquas neſcire, decori
Sic datur, vt veram interea mortalia laudem
Intulerint ſuperis conſtétq; ſcientia cœlo.
Ergo vbi ſe noſtrum vaga Luna reflectit in orbem,
Oceaníque domos & regna fluentia linquit,
Commouet exortu pontum, radijsqúe ſtupendis
Incitat, ac ſtabili concuſſerit æquora motu.
Miraris fortaſsè vices & certa liquentis
Iura ſali: Sed tu tantas in corpore cauſas
Lunari ponas, quantas inferre neceſſe eſt
Ingenijs: cunctas quòd adhuc nemo extulit. aſt hoc
Principio conſtat veteris ſententia dicti.
Imperat humorum liquido vaga Cynthia regno
Et totis dominatur aquis: ceu Phœbe calorem
Tu regis, & pleno ſub corpora ſemine mittis.
Quos igitur motus & quanta volumina cœlo
Perficit, obliquo graditur dum Luna ſub orbem:
Hos humor ſentit ſequiturqúe. potentia magnæ
Ardua naturæ eſt, ſimili quæ ducitur: vt ſe

Propter amicitias opera ad communia, tanquam
Si conſerta foret nexúq; ac fœdere, prendat.
Vt primum Eoo ſe cardine Cynthia tollit
In ſuperas prouecta plagas, adducit ab ipſo
Exortu pontum, & plenis dat creſcere ripis
Tantiſper, ſumma dum ſpectet ab arce, meantem
Diuiduatáq; diem. Sed enim cum frena reſoluit
Præcipitátq; moram curruq; extrema volanti
Captat, & Heſperias aditu ſe mergit in vndas,
Subducit pontum ſecum ſpacijsq; remotis
Pellit, & aduerſo minuit caua littora pulſu.
At verò infernis cum ſe intulit æmula regnis
Luna, pari videas incendier æquora mole:
Atq; iterum in ſimiles diffundere littora ripas.
Occiduo ſiquidem ſe cardine rurſus in altos
Pontus agit fluctus celeríq; tumeſcit ab æſtu
Increſcens, imi donec faſtigia cœli
Occupet, ac toto medium ſe ſiſtat in orbe.
Hinc iterum mare ſubſidit refluóq; fatiſcit
Oceano, variatáq; vices & tempora mutat
Tantiſper, molles dum ſeſe Orientis in auras
Explicet, ac ſolitos referat Proſerpina greſſus.
Hæcq; adeò æternis ſeries firmiſſima conſtat
Articulis, quantumq; omni ſe promouet vnda,
Inſiſtítq; ſalo tumidoſq; recurrit in æſtus:
Perpetuas tantum feruoribus incita leges
Seruat, & haud dubios pelago dat creſcere fluctus.

Quòd

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quòd ſenas motu variet ſe pontus in horas,
Seu fluat ac grandi cumularit littora regno
Multiplicerq́; ſalum terríſq; pauoribus inſtet:
Seu tumidas refluo ſub gurgite ſorbeat vndas
Inq́; ſuas iterum reuocauerit æquora ripas,
Et magno varias terrore redemerit vrbes.
Nec tamen æſtus aquas momento prorſus eodem
Incitat: in tardas agitatio promouet horas
Menſurátq; diem: cum ſegnius æquora ſemper
Motibus aſpirent ſuaq́; in veſtigia tendant.
Luna etenim proprio variat rata limina motu
Et celeres progreſſa gradus ſibi prorogat ortum.
Quapropter tardis equidem ſubuecta quadrigis
Alternanſqúe horas creſcenti tempora ponto
Non eadem ſtatuit: ſpacio lenteſcit & vndas
E' cuſtodito lympharum carcere ſoluit.
Deniq; non Lunæ eſt eadem ſimilíſq; facultas:
Si tenui, aut pleno luſtrarit lumine mundum.
Maior ineſt radijs dubium complentibus orbem:
Et maiore quidem virtus ſeſe exerit igne.
Quo ſi Luna die pelago vicina mearit
Iungaturq́; omni pluuijs virtute planetis,
Auctior æſtus erit, qui ſe mage tollet in auras
Excedetqúe modum. Quòd ſi ſpirantia eœlum
Flamina ſubmittat ventiſq́; furentibus vndas
Implicet, ac fundo penitus freta verrat ab imo:
Haud dubium eſt certæ congeſta pericula cladi

Surgere: quæ infandos mundo paritura dolores
Percellunt triſti miſeras formidine gentes.
Tum vicina colunt refluo qui mœnia ponto
Aggeribusq́; domos & paſcua læta tuentur:
Inuigilent curis ſeq́ue in ſua commoda ſeruent
Sollicit i: ne qua perruperit æſtus & omnes
Deijciat tumulos: cum limina ſtructa reſcindat
Inuoluátq; ſolum pelago: penitusq́; iacentes
Obruerit campos & aquis ſata florea mergat.
Qualia iam latè populorum damna vetuſtas
Commemorat. ceu quæ Batauæ triſtiſsima genti,
Et quæ Phryſonibus populoq́; ea rura colenti
Quæ latus Oceano obyciunt, iam ſæpè moleſto
Euenere vſu: totas dum cladibus vrbes
Afficit, ac terras immanibus implicat vndis.
At verò tenui ſi ſe induat igne, calentes
Dum Phœbi radios & regna peruſta ſequatur
Cynthia: non grandi cumulat ſe mole profundum
Et minus inſurgit, ripisq́ue minoribus extat.
Quas aliquando vices refluiq́ue volumina ponti
Cum Macedûm princeps Aſia ſpectare ſubacta
Vellet, & è proprio fluxum ceu fonte tueri:
Indiacos adyt populos, & inhoſpita circum
Littora delatus non vano tanta periclo
Sedulus explorat pelagiq; incendia diſcit.
Nobile magnanimi pectus Ducis ardet honeſti
Noticia: quantumq́ue auſu belloq́; feroci

Regno--

Regnorum fines pomeriaqúe ardua tendit:
Tantum equidem rerum ſtudijs curæqúe putauit
Eſſe indulgendum: ne cum victricia latè
Arma ferat: magnæ deſint pulcherrima menti
Lumina, quæ regnum cumulatis fructibus ornent.
Haud ea principibus ratio eſt, quæ ſordida vulgi
Pectora deformes plerunque accendit in vſus.
Altius ire bonis libeat pérq; omnia ferri
Culmina fortunæ, dum Marti Pallada iungant,
Imparilésq; deos parili ratione ſequantur.
Salue magna Deûm ſoboles, quæcunque potenti
Cum ſis aucta gradu fatoqúe vtare ſecundo:
Aonijs etiam curæ eſt tibi ferre Camœnis
Præſidium, & faſces doctrinæ immittere certas,
Ingenijsqúe faues. Stultum eſt diſiungere, quod lex
Quod ſuperi & rerum pulcherrima fœdera iungunt.
Turbari interdum bello contingit honeſtas
Immaniq; feróq; Deas: ſed Pallada vates
Armiferam laudant: quæ cum Dea pacis haberi
Expetat: in medijs quærat tamen ocia caſtris,
Seqúe adeò impauidam ſub pellibus aurea firmet.
Suadet Alexandro noſcendi cura ſupremos
Terrarum fines atq; vltima viſere mundi
Littora: vt Oceani refluas exploret arenas,
Atq; immane freti roburqúe volubile cernat.
Cur ea non alijs etiam perſuaſerit, vt ſe
Muſarum comites, & honeſtis artibus eſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Patronosq́ patrésq́ ſinant: cum principis eſſe
Officio clarum nullus non expetat? aut quid
Si doctrina nihil magnos commendet, ab ipſis
Penè etiam brutis magnos differre putabis?
Etſi ſæpè quidem eueniat, maiore profecto
Hos niti virtute, quibus minus acer Apollo
E' ſtudijs poterat velut indulſiſſe videri:
Cum ſeſe humanos facilésq́ ad maxima præſtent
Quæ claros deceant, quæ magnos laudibus ornent.
At quis Alexandro non primas deferat? Vnus
Qui vix è manibus doctum ponebat Homerum
Ingenijúe bonis ceſſit: licet aſpera belli
Conditio varias plerunque in pectora curas
Ingerere, & mentem percellere triſtia poſſent.
Quin vatem memorant hunc ſub ceruice repertum,
Cum fatum Princeps ſubijt, gelidáq́ ſolutus
Morte, venenatis perfregit viſcera guttis.
Iulius in medio bellorum clara tumultu
Scripta parat. Sed enim quos gratæ Tullius arti
Intulit ac ſtudijs cumulabat Marcus honores?
Et tamen ingenti flagrabant tempora bello
Flagrabantq́ dolis, & ſeditione grauiq́
Arſerunt incenſa rogo, cum nulla beatis
Aut loca tuta forent, aut oppida tuta Camœnis.
    Sed tua quis Vatum pulcherrima facta ſilere
Rex FRIDERICE poteſt? quis non te bella ſecutum
Hæc diuturna ſciat: quibus ardua Suecia latè

Tunditur:

Tunditur:interea patrio dum fulminat igne
Illa etiam, & quantum potis eſt noua vulnera pellit?
Et tamen in medijs bellorum his æſtubus, ac ſi
Nil ageres aliud, Doctrinæ ita deniq; curam
Sollicitusqúe foues totusqúe amplecteris: vt iam
Aeternos Muſis ſumptus & prima Lyceis
Incrementa, tuos inter ſpectanda Nepotes
Sic digeſta dabas, ſic læta ſalaria condis:
Ut quantum imperio ſuperet tibi Dania: quantum
Fructibus excellat, meritíſq; ſit aucta triumphis:
Tantum etiam Aonijs ſiet artibus inclyta, quo ſe
Interea, tua dum celebrarit facta decusqúe
Perpetuos inter ſpectandum iactet honores,
Præſidio veris memorandam laudibus ornet.
Illa quidem in Boream cum ſit porrecta, latendo
Hactenus obſcuris ceu Vepribus hæſit. at vt te
Eſt Regem ſortita, caput planè extulit: vna
Re fœlix: quòd te victorem viderit, atq; hæc
Præſtantem ſacris æterna ſalaria Muſis.
At verò cum tu hac meditando expendis, & omnes
Digeris articulos conceptáq; maxima voluis:
Quid tibi conſilio, quid vero profuit vſu,
Oxorum generis decus & pars prima, Camœnas
Ipſe etiam amplexus diuino Petrus honore:
Doctrinas cum norit honeſtáſq; aſſerit artes:
Nec ſanè ignotum eſt, & erit tamen amplior huius
Poſteritas teſtis: ſublata vbi vera locuto

Inuidia tempus poterit plauſiſſe videri,
Et nihil in ſacrum iaculari dira Poëtam.
Hæc Reges ſtudia, hij mores, hæc cura Tyrannos
Prima decet, minus eſt armis excellere, vera
Quàm pietate Deum & tali virtute mereri.
Quin niſi principibus ſit cura ampliſsima Muſas
Aſſeruiſſe: ſcholis inferre ſalaria, doctis
Proſpexiſſe, manu miſeram fulciſſe iuuentam:
Et releuare, quibus paupertas æmula ſaxo
Tergora curua premit, lapſumquè propinqua minatur:
Quis durare quidem aut acie conſiſtere poſsit
Valde etiam perplexa? vbi cum mens prendere ſummum
Certarit, neruis excedunt robora: ne quid
Nitendo perſtent ſperatáq; culmina prendant.
Tum ſublata quidem multis Bona publica regnis
Priuatos vſus priuatáq; lucra ſequuntur:
Ut tenui in miſeros veniant iam lance. potentes
Quanquam detrectent munusquè vſumquè docendi:
Armáq; ſuppudeat tractare Scholaſtica. Quare
Principibus ſit cura viris, ea ſacra tueri
Velle Lycæa, quibus diuinæ Palladis artes,
Doctorumquè adeò cœtus, florensquè iuuenta
Seruari, & iuſta poſsit ratione foueri.
Exemplis etiam tete patiare moueri,
Ut quæ iuſta ſient, libeat feciſſe. quid Anglos,
Quidúe Palatinum, quid Saxonis inclyta facta
Auguſti memorem? cuius iam multa voluntas

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Cum ſtudijs eſt iuncta pijs, vt plurima Muſis
Præmia decernat doctíſq; ſalaria præſtet.
Quisúe Heidelbergam florere negauerit? aut quis
Non Baſileam etiam & doctrinæ clara celebret
Lumina? iam Venetum quis cultam neſciat Vrbem
Vicinamqúe Pado Paduam non efferat? hæc res
Principibus nomen, toti ſua commoda genti
Humanæ attulerit. Sint Barbara magna: ſed hocce
Interea Europæ decus, vt non parua putabis
Emolumenta: quibus pietáſq; ac aurea virtus
Creſcat, & æternam populis det ſurgere laudem.
Nec tamen iſta ſequar prolixo maxima ductu.
Hoc ſanè affirmem: dignas ſucceſsibus Vrbes
Eſſe omnes: dignos & laudibus eſſe Monarchas
Qui ſacras hilari ſectantur mente Camœnas:
Seu diſcunt ipſi, ſeu rem profitentibus augent.
Quæ cœlo facias non aduerſante, ſecundis
Perficias ſtudijs. certes conatibus: aſt hanc
Quæſit iuſta, tuis metam ſudoribus adde.

Libri III Finis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

C. Eraſmi Micha-elii Læti,

DE RE NAVTICA
LIBER IIII.

Aër.

Tandem etiam noſtris ſucceſſerit aura Carinis,
Et ſtatione ratis procul extrudatur. at iſtum
Phœbe laborem etiam cœleſti numine firma,
Et mihi fœlices aſpira in lintea ventos.
Hactenus in primo noua limine conſtitit: aſt nunc
Cedendum portu tentandaq; regna profundi
Sunt maris, & varijs luſtrandum curſibus æquor.
Ire iuuat, pelagoq; rates inferre, proculque
Deſulcare fretum nec enim mihi grandia nullo
Robora ſtent fructu ſolidis connexa tabellis.
Vſibus immittas opus, & cape præmia longi
Sollicitiq; laboris. adeſt Deus æqua petenti:
Et quæ iuſta, iuuat. Vnum te Muſa monebit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Atq; vnò implerit geminatis vocibus aures :
Pectora quæ recti non ſunt ſibi conſcia, quantum
Tute cauere queas, tantum cauiſſe videri
Et vitaſſe velis. ſiue ipſe ſedilia tentes
Scandere: ſiue alios ſtudeas inferre Carinis
Et tua fallaci committere carbaſa regno.
Vt ſua pectoribus cauſa eſt: ita lumen in vndas
Proſpicit: ac ſæuis obuertit lintea ventis.
Dij faciant, vnquam ne quæ veſania cogat
Hoc ſtupidos ſentire homines, neſcire Tonantem
Facta animi, & quod alis concluſo in pectore crimen
Ignorare: alia quàm nos, ſecreta bilance
Explorant ſuperi. ſecuris obruta ſæpè
Pectoribus ſcintilla iacet: quam ritè fauilla
Poſtea dimota patulas mare prodit in auras,
Iudiciumq; animi inquirit mentisq; receſſus
Ingreditur, ſcelerumq; modos & cuncta nefandi
Criminis acta truci prorſus menſurat erymni.
Hijs animis pelago abſtineas, quacunque ferare
In pontum cauſa velisq; inſiſtere tentes.
At verò recti ſi mens ſit conſcia tutos
Promptus adi fluctus. nihil eſt horreſcere pontum
Si tua ſecretæ non damnent pectora culpæ.
Ergo age quæ celeri formamq; modumq; Carinæ
Cauſa dabit, quantumquè boni conſtructa per omnes
Expediet numeros quantósq; paretur in vſus,
Aggrediar memorare. Dijs authoribus iſtos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et fluctus ſuperabit & hanc mihi Cimba quietem
Perficiet. Sed enim primas quicunque Carinas
Extulit, ac pelago formis alluſit apertis:
Credibile eſt magnis ſubnixum pectora fatis
Propitios habuiſſe deos, ſuperiq; Tonantis
Indicio validas vrſiſſe per æquora puppes.
Non hæc inuentis hominum nituntur & arte
Mortali. Diuûm cura eſt, & proxima cœlo
Gloria. ſaltem operum fines & maxima cerne
Commoda, & æternos refer hæc in lintea fructus.
Haud dubium primas capiundis eſſe Liburnas
Piſcibus inuentas. quo ſigno, quoúe magiſtro,
Quoúe modo, quòd adhuc res non ſit cognita, vatem
Dicere nec promptum, nec decertare neceſſe eſt.
Credo ego tanta rudi faſtigia prorſus ab orſu
In noſtras veniſſe manus: fortaſſe beatas
Fortuna monſtrante vias, vbi maxima paruis
Edita principijs venturæ plurima moli
Semina, non dubio iecit redeuntia lucro.
Aut quis quæſo neget, tranquilla per æquora trunco
Poſſe feras volucresq; vehi? fortaſsis inhæſit
Seu Coruus, ſiue Vrſus, aquísq; feruntur apertis
Et medios inter pergunt animantia fluctus.
Vel trabibus pueros primum inſilyſſe, leuiq;
Aſſere delatos: Aut textæ vimine crati
Inſediſſe homines, quos iſta occaſio tantum
In vitæ lucrum atq; imitanda in facta mouebat:

Et

Et ſecum. quid enim? ſolidíſne per æquora quenquam
Ferrier arboribus? non, ſi iam denique fœdus
Hac iter vrſus agit, pateat mortalibus vndas
Semita per medias? num conditione fruantur
Deteriore homines, quàm bruta? cauiiſne ſubires
Quàm ſolidis melius? ſic ſe incitat iſte: manusqúe
Tanquam operum iamiam meditari exordia cogit.
Cum, mora nulla, citis fortaſſe ſecuribus aptè
Ligna aliquis cauat, aut tabulas molitur acernas
Compingitq; ratem: tentátque per æquora naui
Inuehier, poſitóque metu tranare per vndas.
Littora tranſmiſſo tum denique callidus amne
Iſta petit, gaudétque tuens & puppibus inſtat.
Hîc fortaſsè alius facti nouitate ſtupeſcens
Perculſusq́;, monet ripis vicina tueri
Et ventos metuiſſe marisq; horreſcere fluctus;
Nec niſi pacato deducere Sole Carinam.
Hæc igitur primùm patulas occaſio puppes
Intulit in lymphas. pòſt aucta eſt cura, ſimulqúe
Increuit pondus. mox grandia robora pangi
Cepta per humanas quæ reddant commoda gentes.
Siue ea Noah pater primæui gloria mundi
Iungere ligna fuit ſupero perdoctus ab orbe
Mandatóq; Iouis: quo mundum tempore, vaſto
Subſediſſe freto demerſaqúe prædia narrant.
Seu Graij proceres, & humo delecta iuuentus
Argolica, primæ ſtatuit fundamina moli

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aptauitq; trabes vtero, tabulásq; refecit
Diſſectas clauis, atq; ærea vincla ſubegit:
Cum primùm educto ſulcarunt agmine fluctus
Internos maris, & pontum tenuere furentem
Alcidésq; grauis, Iaſonq; & turba pelaſga,
Aurea dum quærunt Phryxeo vellera bello.
Sed quid ego hæc veteris primæua exordia mundi,
Quidúe obſcura ſequor? quæcunque occaſio puppi
Hanc primum formam digeſtáq; culmina iunxit:
Propitio certè poſuit fundamina cœlo
Vtilibusq; dabat ſuccreſcere rebus honorem.
Nec dubium eſt ſuperis rem fortunantibus inter
Has veniſſe manus, diuísq; authoribus altas
Se firmaſſe rates, impoſtáq; vela Carinis.
Quanquam prima rudi plerunque exordia motu
Inijcium magnis præſtare in maxima rebus:
Exiguo ceu lata vides è fonte cieri
Humida, & ingentes fluuijs inducere ripas:
Immiſſumúe ſolo granum ſuccreſcere fructu
Multiplici, plenas & in horrea fundere meſſes.
Ergo vbi ſe tabulis facili coëuntibus arte
Induit in primos diuerſa per oppida vultus
Nautica res: homines illexit præda, per vndas
Quæ capienda fuit, tumido ſe credere ponto:
Aut fluuijs lentare rates, dum forſitan vnco
Squammigeros ſtudeant, aut reti fallere piſces.
Commoda res: grandi ſed quæ coniuncta periclo

Alternat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Alternat ſortes, aduerſaq; tempora ſæpè
Monſtrat, & hæc rurſus meliori luce ſerenat.
Deniq; poſt agros, & amœnæ frugis honores,
Nil piſcatura melius, nil dulcius. aut quid
Commemorem pelago natum genus: vndique quod ſe
Miſcet aquis, noſtriſq; cibos & fercula menſis
Intulerit? tamen haud omnis fert omnia pontus,
Nec fluuijs ſemper, quod viuit in æquore, viuit.
Vtq; alij certè communes amnibus, vnà
Aequor amant piſces: ita plurima copia ſtagnis
Gaudet, & à ſalſis penitus ſe ſubmouet vndis:
Auſteraſq; adeò vitant hæc agmina lymphas.
Nam fluuios Lucij dulcéſq; ſequuntur arenas:
Cum ponti fluctus & amaras ſemper Aſellus
Expetat omnis aquas: totóq; ſub æquore branchas
Mouerit, ac duplici tranet vada cærula pinna.
Tum certè ratio capiendis piſcibus vna
Eſſe nequit. grandes alio conamine Cetos
Aggrediare, leues alio concludere Scombros
Te decet, ac alio Lucios comprendere vinclo.
Retia parua premunt minimos: ſed peruia magnos
Inuoluunt: quantumq; excedunt corpore, tantum
Capturæ variant diuerſa per organa ritus.
Inſtrumenta etiam diuerſis plurima formis,
Artifici confecta manu ſtudijſq; futuris
Apta ſient. alijs hamo naſſaq; latenti
Inſiſtas. alios nudo ſubduxeris vnco.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hunc calamis hamum ſuſpendas. ille iacentes
Perticibus raias primis venatur arenis
Impreſſoq́; fodit latiſsima viſcera ferro.
Retia tum vario diducta foramine multas
Exquirunt formas. Sed enim neq; fila, nec ipſum
Materiæ genus in quaſuis tibi proderit vndas
Capturæq́; valet. facili molliſsima lino
Conficies. ſtupa nonnunquam vtare leuiq́;
Cannabe: nonnunquam horrentes intexere ſetas
Et potes, & calamos tenui demergere plumbo
Et librare dolos, aut tendere piſcibus eſcas.
Quin etiam cernas halecis imagine plumbum
Efformaſſe manus operi: cui immittere funem
Turba ſolet: quo perceleri ceu turbine tracto
Forma volat, mediasq́; inter ſe prodere lymphas
Haleci ſimilis. mox huc ſe inferre volatu
Squammigeros videas, falſo & dare vulnera piſci.
Cumq́ue hamum fallax extremo in fine recondat,
Id fieri ſpectabis, in hunc perſæpè natantes
Labier: ac celeri correptos vulnere piſces
Hærere, & vario deduci ex æquore morſu.
Interdum branchas prendens capit. iſte ſub aluum
Figitur: hic glabro ſubſidit tergore: caudas
Uncus at iſte ferit. tanta eſt variatio, cum ſe
Piſcibus innumeris circumq́ue natantibus hamus
Miſceat, ac vario minitetur vulnera curſu.
Iucundo certè ſpectaclo, vbi plurima merces

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et pretio tenui, & magno venit incita fructu.
Hæc immenſa quidem ſuperi benedictio cœli eſt,
Humanas cumulant quæ mitia numina gentes,
Et miranda ferunt mortali pabula vitæ.
Nec lino tantum & reti, ſed vimine paſſim
Inſidiantur aquis: corbéſque anſáſq; valentes
Conficiunt ſpiris, certóq; volumina gyro
Multi agitant, aptántq; vadis & flumine mergunt.
Quidam etiam vario circundata ligna receſſu
Flexilibus conſerta vijs, palóſq; rigentes
Aequatóſq; locis non alto immittere fundo
Conſueuere: quibus labyrinthi more natantes
Impediant piſces cæcóq; in limine prendant,
Aſtuti. nec enim ſolertes ardua fallit
Spes & cura viros. nocturno ea ſidere multùm
Dexteritas ratióq; iuuat: ſed littora tantum
Et ripis vicina colit: non illa profundo
Seruit, nec tumidas pelagi ſe firmat in vndas.
Denique non facile eſt monumenta ea tota referre,
Aut ſignare modos: varias ita forma viæq;
Ambages cumulant & pectora fructibus implent.
Adde etiam multis proprias iam gentibus artes
Eſſe, quibus piſci capiundo retia magnis
Vſibus expediunt, alijſqúe alijſqúe ſubinde
Nituntur ſtudijs curáq; feruntur opima.
Nec tamen eſt eadem cunctis induſtria: ſanè
Dant alijs alij palmam. quid tempora tantis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vſibus apta rogas? glaciem pertundere quidam,
Verriculóq; ſolent prædas includere: triſti
Quando hyeme vtuntur, medioq́ue in frigore duras
Exercent operas lucróq; inſiſtere certant.
Aſt alijs Aeſtas, alijs Autumnus & acre
Ver placet. haud etiam quouis ſe lumine piſces
Oſtendunt omnes. ſtata ſunt ſua tempora multis,
Se quibus innumeros confertáq; in agmina cogunt,
Et dextras præda & lucro marſupia complent.
Has ſentit præclara vices Randruſia, diues
Oppidum, & ingenuos inter pars optima Cimbros,
Cui Cudius ripas & prata virentia tendit.
Temporibus ſiquidem certis ſua certa natantum
Sunt genera, & varios alternat copia piſces,
In menſes digeſta: quibus noua ſemper in vndas
Succedit ſpecies numerumq́; prioribus addit.
Has Veneti ciues etiam, ceu cognita fama eſt,
Experiuntur opes: varijs vbi piſcibus æquor
Præſtat: & in proprios veniunt propria agmina menſes
Capturáq; beant & opimis vſibus vrbem.
Sed capiendi artes variant. his æra probantur
His Corbes. Sepes alij defigere certant,
Et ſua iam forti ſunt nota Catyſia Cottho.
Quin nihil hîc etiam proprijs non puppibus eſſe
Tendandum credas. ratibus piſcatio certis
Perficitur: quòd & his reti venantibus vltrò
Commoditas fluat, ac dites excreſcat in vſus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nec dubium eſt lintri primas deberier, hæc res
Edita ſimplicibus tam grata in munera formis
Humanos inter ſucceſsit prima labores,
Abſtruſæ nihil artis habens: licet vſibus altè
Surgat, & hac tumidas vincat ratione Triremes.
Nam quæ ligna quidem facili depreſſa ſecuri
Atq; exhauſta cauo ſpectas ſubſidere ventre:
Hæc certè fluuijs, & mollibus inſuper vndis
Apta putes: leni quoties tibi ſpiritus aura
Admittit blandos tranquilla in flumina lintres.
Inde Scaphas Caulumq́; habeas, quæ pondere quamuis
Exiguo coëant & prima exordia firment:
Opportuna tamen ſunt iſta laboribus: vt quæ
Et facile impelli, & ſubduci in littora poſſunt.
Quid Cimbas memorem? ſed enim Lenunculus hiſce
Vſibus accedit. varia eſt fiducia qua ſe
Nauibus immittit piſcandi gnara iuuentus
Retiáq; in multas capturæ accommodat artes.
At verò tumidos ob idem qui munus adurgent
Oceani fluctus, totásq; per æquora verſant
Piſcandi fraudes certóq; incumbere lucro:
Maiores interdum etiam deducere puppes
Munera ad iſta ſolent: vbi fortè minoribus obſtant
Aut tempeſtates agitatáq; flamina ventis:
Aut iuuenum numerus, quos ſe coniungere certa
Nonnunquam ceu lege putes, vt tutius altos
Vel tolerent fluctus, operum vel motibus inſtent

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et rate communem ſectentur in æquore prædam.
Quid verò referam geminas in littore naues
Interdum ſtatuiſſe alios: quibus omnia cauto
Sunt perpenſa animo creſcuntq́ negocia curis?
Hijs equidem maior cum ripis manſerit: vt quæ
Res ferat, ac magno tranſuectet pondera ventre:
Acceptóſq́ viros in tecta paterna reportet:
Interea excipiunt Horia, quod retibus alto
In pelago prendunt, delatáq́ lucra frequenti
Excutiunt motu cumulumq́ ex vſibus augent.
Nec ceſſare etenim: donec vel tempus & ipſa
Anni etiam ratio, vel vaſa impleta, vel eſcæ
Admoneant abitum, vel ceſſans præda ſequentes
Deſerat, vt nullo iam laxent retia fructu.
Hoc igitur tenui inijcio res tanta, ſub vſus
Prodijt humanos.. cœlo auſpice vita per omnes
Officij numeros & lucra per omnia ſeſe
Suſcitat. ingenijs præſtant mortalia: ſed nil
His etiam niti eſt, ſupero niſi magna parente
Tentes, & lucrum Ioue te firmante ſequare.
Proxima cauſa rates pelago molitur, & amplos
Promouet in numeros: cum vaſta per æquora gentes,
Diuerſos ſatagunt regnorum inuiſere fines
Seq́ inferre ſolo, noſtris quod partibus vnda
Diſtulit, ac patrio transfuſa diremit ab orbe.
Huc quia nequicquam tendunt mortalia: cum ſe
Soluit aquis pontus vitreoq́ è gurgite latè

Aeſtuat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aeſtuat, ac motu faciles agit impete curſus:
Ni celeri veniant peregrina in littora puppi:
Cauſa rates ſtatuit tantosq; aptauit in vſus,
Coniunxitq; latus lateri, formasq; Carinis
Intulit, ac recta finxit ratione Liburnas.
Quo tu præſidio longinquas hoſpes in oras
Tranſieris: mediasque inter dare vela procellas
Et tutus te ferre queas: ſeu bruta morentur
Unà etiam, ſeu tete homines comitentur, & inde
Littoribus patrijs vicina in regna vehare.
Aſt alios aliud pelago committit. honeſti
Cauſa ſubeſt plerunque, iuuet cur æquora remis
Tentare, & longos interdum carpere flexus.
Fœdera, contractus, luſtrandi plura voluntas,
Tum fuga, tum merces, quas proxima littora mittunt
Atq; amor: aut virtus per ſe laudanda, quòd iſtas
Atq; iſtas etiam plerunque accedere terras
Expetat: vt merito conſtet vicinia fructu
Cognita vicinis: nec ſeſe ignota per omnem
Infundant vitam cumulentque erroribus æuum.
Finibus hijs variæ meditantur commoda puppes,
Subſeruitq; viris numero ratis æmula, formas
Quæ ratione ſali, portusque aut fluminis arte
Induit, ac faciles ſe lubrica pandit in vſus.
Illa vias molli delaſſat in æquore: nec ſe
Bellorum ſignis, nec vi, nec motibus armat
Inſolitis. placida mortales accipit aluo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Inq́; locos defert, fuerit quo curſus, & alto
Annuat Oceano rerum pater: vnus & vndas
Qui regit, ac multa pelagus virtute domarit,
Vt tranſire quidem pontumq́; impellere poſsis.
Hanc igitur communem operam præſtare Carinas
Multiplices videas. interdum conficit iſtud
Lembus iter: Sed & interdum res acta Liburnis
Aſpirat ripis curſuq́; pericula vincit
Perfecto. quid Pontones memorauero? Celox
Has etiam partes, Cercurus, & ardua lignis
Mouerit Hippago. Sed enim tranſuectio Cimbis
Multa frequensq́; ſolet peragi: quòd & iſta ſecundis
Curſibus apta ſiet flectiq; celerrima poſsit:
Et ſimul æquatis hominésq; & bruta tabellis
Deferat. Huc etiam cuicunq; eſt nomen ab Actu,
(Dummodo non Longas etiam iunxiſſe libebit)
Pertinet: vtcunque eſt vel formis ampla, vel ipſo
Ventre minor, certamq́; poteſt apprendere rerum
Sarcinam, & inceptos firmare in pondera curſus.
Vltrò equidem citróq; meant: ſuperare profundum
Et populos vectare, & amicas iungere gentes
Conantur: pulchrósq; iuuat decerpere fructus
Humanæ, quantum patet in ſua commoda, vitæ,
Fœderibusq; coit ſociasq́; amplectitur vrbes.
Huc remi, contusq́; & pertica longior, vncus
Et vela, & ſi quæ ſunt inſtrumenta minori
Nauigio, ſpectant: quæ ſi maioribus vnà

Conue-

Conueniunt: alio tamen ordine, robore, forma
Competere, & tales transferri reris in vſus.
Tandem alios monſtrent tibi carbaſa mollia fines,
Cum mare ventoſis obiectum aliquando procellis
Pacatumúe terunt: auido quibus æquora lucro
Sectari, & gratas ſtudium eſt conquirere merces.
Cumq; ego confitear ſuperis authoribus hoſce
Cumprimis vſus patefactaq; commoda mundo
In noſtras veniſſe manus: tum nauibus amplas
Hijs etiam formas impactáq; ligna Carinis
Dixerim, & haud timida cumulata ea pondera dextra.
Creſcit opus tabulis: quantumqúe aptatur in vndas,
Difficilésq; petit diuerſa per æquora curſus,
Maiori tantùm ſe robore firmat, & acres
Induit in neruos ſpaciumqúe ex vſibus auget.
Cum veluti præceps ſubiecta in paſcua torrens
Aggeribus ruptis ſe infundit, vt obuia lapſu
Proterat, ac fuſis ſubigat pereuntia lymphis:
Contrà autem agricolæ patulos conantur hiatus
Ingeſtis lapidum cumulis atque aggere denſo
Obſtruere, atq; iterum veteres inducere ripas:
Dum cumulis cumulos, dum moles molibus obdunt.
Haud aliter tumidis ſæuumq; furentibus vndis
Opponenda fuit cum vaſtior vbere puppis
Et maior: tum ſubpactis rigidiſsima clauis
Quæ foret, ac ſolido ſe mittat in æquora nexu.
Hæc tempeſtates toleraret machina, ventos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vinceret, ac merces tuta in ſtatione locaret.
Nec nego ſiderei tutelam operamq́ue Tonantis
Eſſe, rato puppes euadere in æquora curſu,
Et pelagi ſalebras ſuperare & flumina poſſe.
Sed tamen & diuûm munus fateare, Carinis
Ut ſtudio primùm tenues accedere formas,
Sic maius deinceps increſcere pondus, & arte
Intendi moles atq; ærea vincla parari.
Exili ſubeas cùm littora proxima lembo,
Non tamen & longas regnorum tutus in oras
Perſimili venias vectus rate. curſibus obſtant
Multa tuis, ventiq; graues ſæuæq; procellæ
Et tempeſtates aduerſaq́; flamina, qua ſe
Aeolus infundat pelago, tremulasq́ue Carinas
Motibus affligat perplexáq; pectora turbet.
Quidúe hyemes referam? quidúe æſtus? multa fatigant
Exercéntq; viros, qui lucra ſequuntur, & inter
Horribiles vitam fluctus pro ſorte paciſci
Quærendiſq; ſolent impendere mercibus æuum.
Grandior hac igitur cauſa ratis intulit alto
Carbaſa lata mari: ſolido quæ corpore maius
Ferret onus: pelagiq; minas & plurima ponti
Iurgia depreſsis ſuperaret firma procellis.
Quo certe Boreas Notio ſe copulat orbi
Præſidio: ac Oriens commercia plurima regnis
Explicat Heſperijs, ſeq; in ſua commoda voluit.
Cumq; iter impediat terris ſors aſpera duci,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nec ſatis aut tuto diuerſa per oppida merces,
Aut opportuno transferri limite poſsint:
Conſulit humanis cœlum rate fructibus: vndas
Cum ſulcare docet, mediiſq; inſiſtere ponti
Fluctibus, ac celeri pelagus tranare Carina.
Longo equidem partes dirimuntur cardine, longis
Littoribus diſtant: pedibus nec adirier arua
Tuta queant, procul Heſperijs quæ ditia regnis
Submouit Ganges, & Eoum ſparſit in orbem.
    Has igitur committit aquas, hæc littora iungit
Inſcribitq; virûm ſtudijs ſubigitq; Carina:
Quæ ſimul ac validis inſtructa rudentibus alto
Nauigat acta mari conceptáq; flamina portat:
Diuerſos hominum mores ſua rura colentum
Curſibus explorat, variasqúe citiſsima merces
Conuehit, ac magno populos beat ardua lucro.
India mittit Ebur: Croceos dat Tmolus odores,
Caſtoreum pontus, Chalybes ſua brachia ferro
Exercent, molles conuectant thura Sabæi:
Balſama Syriacis tantum conduntur in oris
Et ferro conciſa fluunt: vbi lamina rimas
Intulit, ac molli deſcripſit vulnera libro.
Aſſerit Aegyptus calamum teneramqúe papyrum,
Et Crocodileos mittit procul vnica ventres.
Quid memorem quantos igitur loca ſingula fructus
Et quæ grata ferant mortali lucra coronæ?
Nec gentem, nec regna graui ſubiecit Olympo

Altitonans: cui non, quod magnum dicere poßis
Eximiumq́; , dari quiddam ſpectabis eáq;
Natura clarum, meritæ vt ſe condere laudi
Poßit, & has noſtras inter celebrarier vrbes.
Et Boreæ ſua ſunt non infima dona. proinde
Ut bona coniungunt populos: ita permeat Ortum
Heſperus, & tumidos Aquilo tranſuectus in Auſtros
E` re lucra petit, damníſq; obſiſtere certat.
Quod ſi omnes etiam vel haberent omnia terræ,
Vel nullæ nihil: haud equidem commercia gentes
Humanæ colerent. Nunc qua res deficit, iſtic
Principium exiſtit magniq; fauoris, & alti
Officij. coëunt igitur conſortia lucro,
Et quæ quiſque poteſt alieno commoda regno
Molitur. verum eſt, conniti quemque petitis
Exundare: ſed eſt multò fœlicior is qui
Accipit, ac iuſtos accepta expendit in vſus.
Maxima penè mari iacet Inſula: circulus alto
Qua bis ſubuectat Phœbum temone, paréſq;
Noctibus eſſe dies, vmbráſq; dat ire ſiniſtras:
Inſula diues opum cœlóq; aſperrima, ſi quem
Vel calor immenſus, vel aromata odora fatigant,
Et feriunt auidos nimio ſpiramine ſenſus.
Samatam veteres dixere: vbi plurima Ganges
Oſtia Brachmanno fundit mari, & actus in Ortum
Effuſumq́; ſinum diſtentáq; littora gignit.
Hæc quantum campos numeroſaque prata per amplum

Promo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Promouet Oceanum: quantumqúe per æquora creſcit
Cincta mari, latisqúe tumet vaſtiſsima ripis:
Tantum opibus ditiqúe ſimul velut aucta metallo
Luxuriat, noſtróque immittit plurima mundo.
Quæ tu grata vehas, titulisque accepta corones.
Quis Gemmas, quis opes, fuluique quis explicet auri
Diuitias? Sedenim fructusque ac herba decoro
Multiplicique ſolum conueſtit germine, qua ſe
Zingiber abſcondit, longéque ſub intima mittit
Regna ſoli: cautis vbi turba ligonibus altos
Ceſpitis anfractus merſasque explorat arenas.
Extracto virides diſcindunt protinus apta
Falce comas, & humo rurſus glebaque reponunt
Neſcio quid paruum, quo poſtea ſegmine radix
Creſcat, odoriferis & compleat arua medullis.
Hîc Piper, hîc Gemmæ veniunt: & Eburnea diti
Pondera mole leges. pulcherrimus Vnio conchis
Extrahitur, quas lata freto capit inſula ripis
Eximias magnasque: adèo vt congeſta ſubinde
Oſtrea preſſantem radijsque & acumine Phœbum
Auertant populis ceu tecta domeſtica: cum ſe
Opponant flammis, & tela ardentia pellant.
Denique vicinis etiam regionibus omni
Prouentu iuſsit rerum pater optima gigni
Munera naturæ. Nux hîc Myriſtica flores
Ceu ſobolem complexa viret, ramisque tenellis
Pendula luxuriat placidisque caloribus auget.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quid Cinnamomum referam? quæ plurima libro
Subtracto legitur pubes, cum dextera lucrum
Annua decerpat, ramisq́; virentibus inſtet?
At ſimiles reficit frondes, annóq; ſequenti
Quæ reciſa manu fuerant virgulta reponit.
Ut ſalicem nos falce comis ſpoliamus: at illa
Reſtituit multo præſectos agmine ramos,
Naturaqúe iterum facili ſua damna reſarcit.
Huc ergo Heſperijs iter eſt iam puppibus. inde
In noſtras, quæcunque Oriens habet optima, terras
Perueniunt delata. rates hijs vſibus inſtant,
Hijs ſeruire vides. Deus hæc in munera celſas
Ordinat, ac miti ſeruat bonitate Carinas.
At verò ſi quam fortaßis in æquore cladem
Percipis: hanc noſtris diuûm ſuccenſa voluntas
Moribus intulerit: qui cùm ridenda ſequaris
Munera fortunæ: pelago te prendit, vt iſtic
De toto tecum iuſta fortuna bilance
Decidat: quantóq; velit tete aſſe beatum
Seruari, medijs expenſum fluctibus æquat.
Quod ſi interdum etiam patiare atrocia ponti
Naufragus imperia, & madidis ſis hoſpes arenis
Eiectus pelago, & fluitans ignota requiras
Littora: nil dubites pœnam hanc conatibus eſſe
Præteritis, animi ſecreta vt pandat, & actus
Expiet, ac tacitas abſtergat in æquore ſordes.
Quanquā humana tamē nonnunquam incuria magnas

Ipſa ſibi ſubuertit opes: dum freta Carinis,
Negligit aut Superos, aut clauum ignara gubernat.
Salue æquor ſpacioſum vndis, pulcherrima regna,
Fœcundumq́ ſalo. merito tua iura decore
Dij cumulata velint, dum vaſta per æquora tendens
Imperat Oceano, & tacitas perlabitur vndas
Neptunus ſenior: motisq́ue tumultibus addit
Arbitrium, & quantum ſit fas attollere fluctus
Limite decernit, ventisq́ue imponit habenas.
Sis fælix fauſtumq́ue bonis, mitiq́ue procella
Cinge rates, placidóq amplectere dulcia vultu
Quæ tibi ſolliciti fundunt libamina nautæ.
Da facilem populo curſum, qui Thetidis vndas
Sulcat, & externis quærit ſua commoda regnis.
Tu potes ingenij ſecreta latentis & imi
Pectoris ingreſſu tacitas penetrare latebras
Iudicióq viros ſimul explorare: quid acri
Scilicet ingenio ſtudijq́ue, maliq boniq
Quiſque alit, & quantum ſcelerato in pectore verſat.
Dij tibi fortunent fluctusq́ & littora regni,
Adijciantq́ue ſalo ripas: pretijsq́ue redundent
Aequora, & haud dubias referant placidiſſima merces,
Grandia Cetorum ludant hic corpora: ludat
Congrus, & æterno cumulentur ſemine piſces,
Ac fœlix captura ſiet: populisq́ ſecundet
Retia fluctiſonis Triton ſpaciatus in vndis,
Et fieri quæ poſſe velit Deus, actibus addat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Deniq; ſata rates, oneri quæcunq; vehendo
Nomen habent, tantis immittunt vſibus. ætas
Illa prior mundi, cum rerum gnara beatas
Exerceret opes, & mercatoribus amplas
In ſua lucra vias, & amicas panderet oras:
Haud tamen enormi tendebat dorſa Carinæ,
Nec ſuperare modum ratibus dedit. apta coibat
Materies numeris, ſed quæ mediocria tantum
Robora compegit, tenuiq; erat ardua neruo.
Ut verò accreuit mortalibus æmula magni
Cura operis, pariterq; animum ſceleratus habendi
Vicit amor, ſtudiumq; fuit compendia longis
Quærere littoribus certasq; exquirere merces:
Nauibus acceſsit pondus, quibus omnia tandem
Præſidijs, quæcunque forent externa, ſequantur:
Intulerintq; amplo ditiſsima commoda ventri.
Nam tenui magnum lucro obiectaſſe laborem:
Expenſasq; graues parua in commercia duci:
Et ſorti pretium, & ſtudijs ſubuertit honeſtis
Arbitrium. grandes igitur nunc ire Carinas
Cura moleſta facit: ne lucro deſit. at omnes
Implerit numeros, auidumq; inferciat orbem.
Tum noſtris ignota quidem maioribus olim
Multa fuit tellus: nec in vltima climata mundi
Soluerunt nautæ peregrináq; regna petebant.
Nunc ea verſa vides. nec enim iacet angulus vſquam
Cognitus, inſanos ſi fas accedere nautas,

Quo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quo non humanis itum eſt conatibus? ortum
Heſperij norunt. Aſtrictum frigore pontum
Explorant Notij: Boreas contendit in Auſtrum,
Extremumq́; legit ratibus caput: vnde ſub ortum
Spes bona fluctiuagas illectat agitq́; Carinas.
Omnia nunc curis hominum ceſſere. Columbo
Principe, Veſputioqúe Magellanóq; & Alonſo
Serranóq; ſoli pars multa eſt cognita: quà ſe
Heſperus ingenti ceu cardine diſsitus Auſtro
Obijcit: aut Oriens ignotas explicat vrbes,
Ignotisq́; vijs noſtrum ſe iungit in orbem.
Ergo vbi iam ſtudijs hominum, varióq; labore
Semotas aperit diſtanti limite terras
Aut fatum, aut varijs onerata induſtria curis:
Haud equidem miror grandi compage coactas
Deſulcare ſalum, ferriq; per ardua naues.
Olim nemo quidem niſi tempeſtate ſecunda
Portubus exceſsit ratibus, pelagumq́; tenebat.
At nunc aduerſis etiam dare lintea ventis
Mens inuicta iubet, pellitq; per inuia remos.
Non calor immenſus, non frigida nubila turbant,
Auertuntúe animos hominum: non ſidera, curæ,
Non ſcopuli, medio neq; ſaxa latentia ponto:
Nec via longa mari, neq; diſsita littora tardant,
Quo minus Oceano propoſta inſana furenti
Obijciant, animisq; deos cœlumq́; fatigent,
Et fera non dubio tentarint æquora curſu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aduerſos igitur nunc experiuntur in vndis
Spirituum cumulos ſæuóſq; tumultibus ignes.
Quæ mihi prima quidem cauſa eſt, cur vnda phaſelos
Exigat ingentes & corpora maxima duci.
Tum verò inſolito labuntur ſecula ritu,
Et vetus exceſſit faciéſq; & gloria mundo.
Nunc Hyemes aliæ: nunc Ver: nunc deniq; Meſſis
Autumnóq; dies, priſca quàm ætate fuerunt
Maiorum: ſæuis nunc tempeſtatibus æquor
Conuulſum furit, & rapidis freta verſat arenis.
Vſq; adeò poſtquam inſolitas mortalia curas
Pectora traxerunt: veterumq; à more fidéq;
Auerſos habuere animos vanumq; ſequuntur:
Inſolitos etiam Diui ſtatuere labores,
Et funeſta iubent delabi ſecula mundo.
Improba mens hominum nihil haud molitur, & orbem
Peruolitat, tentátq; aditus penetrátq; latebras,
Vt fœlix ſiet: ac ſtudijs feruentibus omnes
Induat articulos laqueariáq; ampla bearit.
At contra ſuperi obiecere furoribus altos
Sudores: ſepemq; vijs poſuere: dabántq;
Vt qui magna petit, magno petat arduus auſu:
Difficiléſq; habeat tam lauta in munera curſus.
Sic igitur celſæ dicuntnr in æquora naues,
Et vaſtæ moles vterum, fortéſq; rudentes
Roboráq;, haud alio quàm diuûm ſalua fauore
Præſidijſq; poli: quantum manus æmula cunque

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Sollicitat nautas, curáq; affligit inani.
  Quid varias rerum merces, quidúe aurea dicam
Munera regnorum? Deus eſt opulentia: cum ſe
Mutua confirmant humanæ in fœdera gentes.
Cumq; aliàs homines aliúdq; aliúdq; requirant
Diuitiasq; vno non ſemper fonte ſequantur:
Inclyta naturæ mirari dona, pariq;
Relligione decet ſuperas nos ferre per auras.
Quisúe Orientis opes feruentiq; obuia cœlo
Neſciat arua? Deûm labor eſt, vbi clara redundant
Regna bonis: variósq; ferunt commercia fructus
Coniungúntq; animos populorum, & fœdera ſeruant.
Sunt alijs aliæ merces regionibus. aut quid
Verſibus iſta ſequar? tenuem dedit Anglia lanam
Et dat. ea eſt etenim fœlici copia regno,
Et diuturna fuit, ſempérq; manebit. Eoi
Rebus vt exundant pretioſis climata mundi:
Sic ſua certa quidem Boreæ ſunt commoda. ferrum
Suetia diues habet faciliq; parabile dextra,
Et Cuprum, Librumque leuem. dat Lappia pelles
Præcipuas. ſolidos mittit Nortuegia piſces,
Et genus eximias maculoſo tegmine Lynces.
Dania multiplici ſcaturit pinguedine. Nil hîc
Optandum quodcunque ſiet, natura requirit:
Nec dedit enormi languere palatia damno.
Aucta bonis ſuperat multis Germania. priſcum
Robur erat Gallis. Hiſpania regnat, habétq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vaſta ſalem, & vario luſtrat vada cærula curſu.
Aut quid ego Italiæ cultiſsima regna, quid vrbes,
Littora quid, portusúe canam? iam nulla per orbem
Nomine vel maior: vel opum ſplendore feratur
Pars melior, tanta eſt naturæ induſtria: tanta
Vbertas rerum populiſq; frequentia. Vel quid
Nunc ego Parthenopen? quidúe inclyta mœnia Romæ
Laudaro? maius nihil his eſt vrbibus. adde
Italiæ varias inter porrecta ruinas
Littora, & eximiam defer ſub lumina gentem:
Inuenies valuiſſe animis, valuiſſe bonorum
Vſibus, & celebri valuiſſe ad maxima laude.
Illa boues, apróſq; feros, lætaſq; bidentes
Nutrit, & innumera farcit nemus omne volucri.
Aut quid ego ingenijs, quid factis plauſero? tum quas
Illa vrbes habitat, quos addit in oppida muros
Quis canet? Italiæ lata eſt poſſeſsio, qua ſe
Aut labor, aut virtus, aut rerum copia fundat.
Cætera quiſque ſuo pro more expreſſerit. vna
Mantua præcipuo veniat mihi ſemper honore
Dicenda, & noſtris ſit flos & fama Camœnis.
Aut quas ſtellarum poſitus, quæ ſidera cælo
Præſediſſe putes: cum Mantua parua Maronem
Edidit in ſacram ſanctiſsima pectora lucem?
Credibile infanti eſt huic vni ingentia cunctos
Afflauiſſe deos: opus eſſe nec vnius illum,
Omnibus æternum qui diuis condat honorem.

Quisúe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quiſue etiam ingenium ſibi vendicet illius? an non
Phœbus Apollo: decus Uatum, & ſua proxima Muſis
Gloria? propitio veniunt quo magna parente
Quæ durent, ſolidáſq; ferant in carmina laudes.
Quæ Veneri partes? animam dare verſibus, vt ſe
Inſinuent tacitis ſuadela atq; arte medullis,
Et placeant. Magnus quid Iuppiter ipſe? ſequatur
Ut Uates quæ magna ſient: ſeu deligat acrem
Materiem calamis, magnos ſeu vita Monarchas
Mirari, & rerum faſtigia prendere certet.
Quid reliqui plerunque omnes? quid deniq;, præter
Inuidiam? ne quæ virtutem ignauia fœdo
Obruier torpore ſinat. Mars bella miniſtrat,
Mercuriusq; modum ſectandi plurima pandit.
Uni Saturno cui Gloria diſplicet, æuo
Compagem abrumpit, parteſq; has Luna ſecundat.
At verò hæc ſuperis poſtquam ſunt edita, ſolus
Extitit humanæ ſeruator gentis, eiq;
Cum plauſit, vera ſacrum vtilitate Maronem
Induit, ac gratæ Comitem dedit eſſe iuuentæ:
Quò vitam fructus, quò fructum vita coronet.
Huic nos, ſi tamen & clara inter lumina quicquam
Nos ſumus, ac aliquo conſiſtimus ordine: Uati
Debemus, quodcunque ſumus: cui quicquid ab arte
Quicquid ab ingenio poterit proficiſcier, vni
Deferimus: qui ſic meditamur grata Camœnis
Ut ſua ſit Læto ſemper Maro gloria Uati,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et noſtrum decus Andino ſit fama poëtæ.
In reliquis quæ magna quidem miramur, & eſſe
Laudibus extollenda putes: quòd laudibus eſſe
Aequa velint, facileſq; ferant in præmia Muſas.
Præſtiterit, quod ſemper agit, Florentia ſacris
Aonidum ſtudijs quæ ſunt optanda: colátq;
Exemplum ſtirpis Mediceæ, & culmen auiti
Sanguinis exornet: veriſq; & honoribus inſtet.
Tum priſcæ virtutis agat Ferraria ſeſe
Teſtem: & cum meritis excellat laudibus, iſtis
Maiores addat, cum quæ ſint recta ſequatur.
Præcipua tamen extulerit ratione Camœnas
Eſtenſi pro more: quibus res iſta Monarchis
Sic ſemper cordi fuit: vt vel ſola putari
Poſſiet iſta domus: quæ laudibus, ære manuq;
Promoueat ſacras ad maxima culmina Muſas.
Aut cui Senenſis Reſpublica diues, & illa
Muſarum mater non nota Bononia? Dij dent
Ut Latio virtus ſit magna ac ſedula regno:
Inſcribátq; ſuis non vana encomia faſtis.
Quid placidos Venetum mores, quid honeſta Senatus
Pectora, quidúe artes monumentáq; ſeria dicam?
Cens ea penè rates nunc vnica promouet. iſtic
Inſtructas naualis opes lætamq; videbis
Materiem, doctáſq; manus & gnara futuri
Conſilia, ac magnis æquata impendia factis.
Ut nihil & Muſas memorem, quas inclyta gens hæc

Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Sic colit: vt maius nil duxerit artibus eſſe
Ingenuis: quo ſe noſtro Deus intulit orbi
Præſidio, ac veris virtutibus auget honores.
Opto equidem incolumi latos rate viſere fines
Hijs populis, certámq; Deo monſtrante ſalutem
Aſſequier: totis dum ſe victoria remis
Inferat, ac placido moueantur lintea vento.
Græcia non minimis exundat fructibus: amplo
Obuia terra mari, quæ ſæuis quaſſa procellis,
Ingentíſq; mali cumulos experta, Tyrannum
Suſtinet, ac verſo fatorum cardine languet.
Heu quantum à veteri vel libertate receſſit
Vel ſtudio: cum Flamminij vox aurea mœſtos
Græcorum populos victo dedit alta Philippo
Ocia ſectari, priſcóſq; reducere iuſſit
In theatrum vultus, repararéq; legibus vrbes.
Tum fœlix: nunc preſſa gemit, patiturq́; ferocis
Aſpera iuſſa viri, lacrymaſq́; e luctibus auget.
  Quid memorem Aegyptũ, quid Syros, quidúe peruſtos
Sole Afros? nulla eſt populorum natio, quæ non
Commoda certa parit noſtróſq; emittit in vſus,
Communéſq; operas iuuat, & ſe ſuſcitat vltrò
Officijs. aliquas autem ſub præmia merces
Explicat; ac ratibus non vana impendia reddit.
  Inſula quinetiam vario diſparſa profundo
Gignit opes, quibus externos in fœdera ciues
Pertrahat, ac celebri coniungat pectora quæſtu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Optima quis neſcit Creteis vina corymbis
Naſcerier? inferno velut actum gutture ſulphur
Oſtentant Siculi. ratio eſt diuerſa per omnes
Terrarum populos: aliudqúe aliudqúe deorum
Cura dedit, quo ſe coniungant pectora nexu
Conſocientq; manus & mutua lucra ſequantur.
Huc igitur ſtudijs itum eſt: huc fluctus & aura
Seruit, vt impulſas cœleſti folle Carinas
Deuehat, ac varios ſubeat ratis æmula portus:
Mutandisq; ſecet furioſum mercibus æquor.
Id ſuperi tantum pacataq; numina curis
Perficiant hominum: minima vt ſub clade frequentent
Hos alij portus. Sed & hij quoq; littora paſſim
Ulteriora legant ſalua rate: cunctaq; rerum
Semina conſpirent, ſeq; in ſua commoda mittant.
Ultima nunc memoret celeres mihi cauſa Liburnas,
Expediatq; rates pelago, quibus arma Gradiuo
Decertanda ferant ſupremam in Carbaſa laudem.
Hæc ſunt haud tenui referenda negocia verſu:
Aethereo ſi quem mens exſtimulata calore
Suſcitet in magni memoranda volumina belli.
Non etenim paci tantum diuina Carinis
Materies legitur. bellis instructa gerendis
Puppis eat: quantumqúe manu tabulata coirint
Et conſtent ſolidis cataſtromata fortia lignis:
Tantum pellendis deſeruiat hoſtibus. iſte
Nauibus extremo deſcendat finis ab vſu,

Præci-

Præcipuamq; ferat diſpoſta in tranſtra coronam.
Dij quantum laudis, quantumq́ue ſalutis haberet
Hoc mortale genus, bona ſi ſua ſciret, & eſſe
Tranquillum, ac ſtudijs curare domeſtica poſſet.
Nunc externa ſequi labor eſt, & ſumma voluptas
Turbatis inferre faces & funera rebus.
Hinc belli virus, vetitiq; licentia ferri
Pugnarumq́ue fluunt cumuli, cædéſq; cruentæ,
Et deplorandæ fortuna obnoxia morti.
Centibus accendunt plerunque incendia gentes
Et populos populi inuadunt: rectumq́ue fatiſcit
Sæpius, ac ſanctos turbat violentia faſces.
Cum veluti alueolis peregrina examina pugnas
Exitiumq́ue mouent: gratos cum propter odores
Diſſideant animis, & mutua vulnera tentent.
Exoritur clamórq; ducum, fremitusq́ue ſequentum
Hortantúrq; manus celeres, atq; vltima captant
Conſilia, & forti lacerant fera pectora bello.
Scilicet effuſo diſcordia tanta cruore
Penſatur: quantumq́ue animis feruentibus iræ
Excreſcunt, tantum ſtragéſq; & prælia morti
Funera dura parant, factíſq; furentibus vrgent.
Vtq; alias aliæ ſternunt, ita tota viciſſim
Agmina ſternuntur, variatq́ue potentia ſortem.
Mutua diſcordes perimit contentio: Victor
Vincitur, ac diris pars cædibus vtraque cladem
Sentit, & ingenti conſtat victoria damno.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Sic ſua mortali ſtatuit natura colono
Fœdera, quæ ſtudijs vani, perſæpe prophano
Irrita conatu facimus: ſubitóq; calore
Rumpimus optandam, tanta eſt violentia, pacem.
At caput in proprium facinus plerunque redundat,
Authoréſq; premit ſcelerum labor. Optima vitæ
Mortalis res eſt, pacis decus: omnia propter
Quam tolerare bonos deceat mala. Nauibus ergo
Hic etiam finis laudem parat: illius vſu
Ludit, & ingentes variat fortuna tumultus.
Id ſaltem meminiſſe velis: bella omnia pœnas
Eſſe: nec has orco fruſtra Deus excit Erynnes.
Nec tamen & cunctas bellorum dicere cauſas
Iusúe fidesúe ſinit. ratio eſt diuerſa mouendæ
Litis, & è varijs contentio rebus inundat.
Interdum virtus, interdum ſubdola bellum
Mens parat: interdum ſtultis è motibus ingens
Exiſtit clades, veniuntq; pericula regnis.
Sunt animis fatui quidam, quibus eſſe beatis
Cum liceat, temerè perrumpunt ocia: dextras
Sanguine perfundunt: gelidumqúe in viſcera ferrum
Mergere, & inuiſo properant dare nomina bello.
At diuûm ſoboles pax eſt: cui militat orbis
Deſuper æthereus, cœlíq; potentia ſeruit
Menſuræq; bonum. Mars eſt violentus: at artes
Pax fouet, ac placidis confert ſua præmia Muſis.
Interea quas tu bellis immittere puppes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et proferre velis, ſolido coniungere nexu,
Ac firma fulcire baſi nitaris & arte.
Hîc opus ingenio eſt & re, quæ impendia ferre
Larga queat, magniſq; nihil conatibus ære
Abſiſtat, medioſue relinquat caſſa labores:
Et ſua deformi cumulet tentamina riſu.
    Ergo vbi iam exceſſit natali puppis ab aruo
Inſiſtitq; mari: toto ſua fortia pandat
Robora complexu: nihil eſt ambage remiſſum
Præteritumq; nihil. ſtant omnia firma ſuiſq;
Partibus expleta, & nitidis æquata Carinis:
Cum tibi prima ſiet tam forti cura Liburnæ
Tormentis armare rates, & plurima puppi
Inſtrumenta quidem proprijs aptare ſub oris.
Machina principio mittendis commoda pilis
Torquendiſq; globis, lateri adiungatur aperto:
Siue rotis, ſiue appenſis agitetur habenis,
Siue cauo iaceat ſubnixa in vulnera ligno.
Hæc res Tartareis quamquam ſit fontibus orta,
Exoſaſq; habeat tam magna in præmia cauſas:
Cum tamen inuidia nigriq; furoribus orci,
Vſibus increuit: quæ res amauerit hoſtem,
Illa tuas etiam vallauerit ardua puppes:
Victricéſq; ferat magna in certamina dextras.
Heu barathro quantum licuit, quantumq; Sathanæ
Eumenidumq́ue dolis, quo tempore ſulphura nitro
Miſcere humanum didicit genus, illa tenebris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Merſa dies nigro ſemper carbone notetur
Inuiſumque habeat ventura in ſecula nomen.
Res ea virtuti prorſus contraria clades
Perficit. Ut tamen admiſſa eſt, iam maxima virtus
Ducetur: ſi quod tibi ſtruxerit hoſtis, & omni
Exitium ſub fraude parat: tu rurſus in hoſtem
Vertere, & haud timida ſatagas dare vulnera dextra.
Sollicitis igitur tibi cura ea motibus omne
Expleat ingenium: Tormenta vt bellica iungas
Puppibus his, longáſque velis munire Triremes
Præſidio: quo, ſi faueat fortuna, premendis
Hoſtibus haud aliud maiores proſtat in vſus.
Utque nihil cæca conſtet tibi mente, priuſquam
Machina torquendis quæ ſeruiat ænea pilis,
Aggrediatur opus, rigidámque armare Carinam
Ceperit, immani tentetur puluere: qui cum
Corripiat flammas & ſe diffundere certet,
Oppoſito cum fortè globo ſtringatur & ære:
Iras intus alit, ſæuítque volubilis ignis
Dilatátq; gradus ſpacióque tumeſcit, vbi arctis
Materies ea rara locis incenſa prematur.
Ut verò ingentes peperit violentia flammas,
Immenſum furit: ac rumpi tormenta neceſſe eſt
Propellíue globum ſubitóque per aëra ferri.
Quis ſonitum iſtius motus? quæ Muſa tumultus
Horribiléſque canet vicina per arua fragores?
Dij tantas mundo ſecliſque auertite peſtes.

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aut ſi dura pati genus hoc mortale neceſſe eſt,
Mollior hoc ſeries fatum regat: aut ſua magnæ
Præmia virtuti rata ſint: hoſtémque ſequantur
Funera, quæ poterat confracta pace mereri.
 Vtq́; ita non dubia res eſt expenſa bilance
Et ſua Tormentis iam virtus conſtitit: hiſce
Nauibus impoſitis fidos adhibere miniſtros
Proxima cura ſiet, qui rem tractare, ſuiſq́;
Partibus exequier proferréq; commoda poſſunt.
Mox inſtrumentis alijs harpago grauiſq́;
Coruus, & impacto ſuccedat lancea ferro,
Impoſitæ columen galeæ: quibus æmula certi
Dextra operis lapides adiungere ſueuit, & apto
Sternere ſaxa loco: ne quid manus erret, in omnes
Cum ſe conatus pugnandi flamma reſoluat,
Teláq; præcipitans ventura in funera poſcat.
 Interea ſua certa viris ceu tecta putentur
Ordinibus diſtincta: velut cum exercitus ampla
Planitie medijs caſtrorum partibus, ædes
Quiſque ſuas molitus, habet quo ceſpite quisque
Conſiſtat: pariátq; nihil confuſa vagánsq;
Turba mali. haud aliter claßi præfectus honeſtis
Ordinibus dirimat ſociorum corpora: ſedes
Attribuat ſignétq; locos, quibus vſq; morari
Vulgus & arma velit, tenuemqúe agitare quietem:
Diſtribuatqúe ratem meritis & commoda penſet.
Res ea multiplices pariet cautißima fructus:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nec dictu facile eſt quanta vtilitate colatur.
Promptius officium Nautæ, & ſua prælia miles
Perficiet: ſeu quæ torquendis cura Liburnis,
Seu belli ratio celeres vrgere maniplos
Viſa ſit, & fortes optare in tela phalanges.
Quin etiam ordinibus titulóſq; ac nomina iungat,
Diſcernátq; viros dubia non claſſe: vocari
Hoc melius pacto, pugnaſq; capeſcere poſſunt.
    Vnum autem moneo, primaq́ue id lege monebo
Corporibus ne quid paſcendis deſit: ab iſto
Omnia principio faciendis commoda rebus
Proueniunt. alacri ſaliunt præcordia motu,
Quæ læto ſubtus capiunt ſua gaudia ventre.
Demade ſunt etenim rectè hæc quoq; dicta Magiſtro.
Ipſa equidem ratium prora panem eſſe priorem
Quo viuas: fruſtráq; ſalo te inferre Carinas,
Iuſta laboriferæ ſi deſint pabula genti.
Quòd ſi difficiles olim experiare locorum
Fortunæq́ue vices: ſatis eſt diſcrimina quemq;
Tum tolerare: famem ſiet vt non ferre neceſſe.
Hîc etiam, cum vel poſſit tibi panis haberi:
Vel labor hoc ingens nequeat ſine munere duci.
Cœlica nil melius dant numina farre. beatis
Hæc eſt cura dijs, nihil vt mortalia largo
Deſtituant ſpolientúe bono: quantum aurea fas ſit
Aſtra viris donare, quibus ſua militat aſtris
Mens etiam, & grata prendit data munera lance.

Prima

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Prima igitur tibi vota ſient pro pane. faceſſat
Segnities: facileſq; induſtria ſedula palmas
Sic regat, vt Cererem non auerſatus honores:
Supplicibuſq; Deam hanc precibus ſub tecta reponas.
Si quid præterea obſoniî ſtiparis & eſcæ
Multiplicis: veluti ſi pinguis tergora porci
Iam fumo durata: vel acri forſan amurca
Perfuſas carnes, piſcéſue, aut cætera iungas:
Factum operæ ſtatuas pretium: fructumq; laboris
Tum capias, cum fluctiſono ratis ærea ponto
Vecta, nequit patrios facili conamine portus
Accipere: & cultas iterum ſe ferre ſub vrbes.
Seu tempeſtates prohibent excedere regnis
Neptuni: ſiue hoſtis iter ſtatione ſecunda
Impedit, ac ſæuos redeuntibus obijcit ignes.
Vtcunq; iſta tibi res mentem fulciat, id tu
Perficias: duplici panis ne coctus ab igne
Deſit, & eximiæ frangat fera robora genti,
Ardorémq; animi extinguat: cum brachia vires
Depoſitura labant, victiſq; pericula conſtent.
Mox quo tute ſitim minuas, haud ſegnior omni
Exquiras ſtudio. Vetus eſt prudentia vino
Ceu munire rates: curámq; hanc tollere Bacho.
Sed neq; cuncta Deum gens hunc cognoſcit: & hunc ſi
Maximè habere virûm pulcherrima prædia poſſent:
Haud tamen expediet crebros inferre ſub vſus
Hoc genus, & certos flammare ſub ignibus ignes:

Ac reuocare ſitim, & duplicare incendia ventri.
  Aegypto memorant vſumqúe modumqúe repertum,
Hunc ſtomacho ardorem quo poßis tollere. lymphis
Hordea mixta coquit: percolatumqúe liquorem
Spiritibus ſpumam latè extrudentibus, acri
Ceu fermento agitat: totósq; intrare ſub artus
Cœleſtem mira donat virtute calorem.
Quo ſubitis operante quidem feruoribus, ipſe
È motu fæces ſubigit, gratumq; ſaporem
Vindicat, ac Lupulis rem fortunantibus auget.
Exceptum vaſis obſcura in ſede recondit:
Quo neq; Sol radios, neque totam Cynthia lucem
Intulerit, calido nec ſit locus obuius igni.
Frigoribus ſed enim moderatis conſtet. in illo
Durat, & aßiduos liquor hic ſeruatur in vſus.
Hunc aliæ morem gentes populiq; ſecuti
Inuentis cumulare modos, formámque per omnes
Ducebant numeros, artemqúe ex artibus augent,
Materiesqúe ſimul ratioqúe extenſa coquendi eſt,
Et Cereris fœlix retinet cereuiſia nomen.
Hanc inferre Deam properésq; ac condere puppi:
Si qua erit aut animo cura, aut quæ copia facto,
Nanciſciqúe queas: neque te fortaſſe locorum
Aſperitas, tenui vel meſſi obnoxia tardet.
Iſte ſitim potus non tantum pellit: at inde
Ebrietus etiam exiſtit: ſi largior hauſtus
Obiectet gelido fumosqúe habitusq; cerebro,

Correptosq;

Correptoſq́; graui ſenſus caligine mergat.
Quod ne quo pacto, ne quaue libidine fiat
Prouideas. quid enim? potandi crebra voluntas
Et conſueta lues, exhaurit vaſa, merumqúe
Proſtituit: quantumqúe dies abſumit inanis
Lætitiæ, vt venis cumulet turgentibus ignes:
Venturæ tantum cladi, geminiſq́; querelis
Effera dicta ſtruit, lamentáque triſtia gignit.
Quod ſi interdum etiam puras res ſuadeat vndas
Libare, & gelidis ſitientia pectora lymphis
Aſſerere, eſt longo quæ nota moleſtia bello:
Et perſpecta viris, quos vel pulcherrima virtus
Vel ſors infœlix varios obiecit in enſes:
Hîc equidem ſolers animum rege. ſubijce flammis
Indomitos latices, lupulóſq; immitte, parumúe
Furfuris. hæc etiam firmandis viribus, etſi
Pertenuis, ratio eſt. lædit minus intima, cum ſe
In venas ſpargit & hiantia viſcera complet.
Quin alij aërios halitus, & blanda ſubinde
Sacchara vel lymphis miſcent: vel grata ſeorſim
Ori indunt: quòd & hac æſtumqúe ſitimq́; leuari
Protinus arte putent: quod verum eſt. ſi tamen ingens
Non etiam tete magnos labor vrget in vſus,
Nec ſeſe immenſo patefecerit ardor hiatu.
Hîc opus eſt etenim pleno cratere, moleſtos
Quo ſitiens artus cumulatis proluat vndis,
Infundatq́; aluo frigus cùm temperet æſtum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quo quæ pocla loco potius ſumenda putarim,
Haud facile expediam. Vino capit auctius ardor
Incrementum. at enim puris ſunt frigora lymphis
Sic iuncta, vt medio ſint ventri noxia: & inde
Immanes ſpargant ſtupefacta in viſcera morbos.
Extremis amota iuuant: vbi Bromius vndas
Temperat, aut cocto pandit ſe gratia Zytho.
Et tamen hæc etiam tali moderamine prorſus
Sumenda eſt cenſura: aliquid fortaſsis vt ipſa
Vel natura quidem, vel conſuetudo volenti
Concedat. quid enim? Lymphis aſſuetus, an vſum
Lympharum damnet? nec enim damnauerit: vno
Quo melius fortaſſe habeat: mutatio ni ſe
Valde etiam lentè pocla in contraria vertat.
Conſuetis ſiquidem nihil eſt iucundius: his ſi
Non etiam prorſus ratio, aut natura repugnat.
Vt tibi proſpectum eſt victus bonitate: foróſq;
Machina ſuppleuit, paſsimq; inſtrata Carinæ
Se formidandam venturo obiecerit hoſti:
Vtq; manus hominum validasq; bonasq; morari
Et tecum perferre vides communia vitæ
Officia, ac celeres immittere in ardua dextras:
Cura ſuprema ſiet cataphractæ hoſtilia puppi
Iungere ſigna: quibus patriæq; animiq; videri
Argumenta queant: quo tu conamine, quoq;
Propoſito peragas ſuſceptáq; prælia tentes.
Tum verò accendi cum pectora ſæpè neceſſe eſt
Cantibus

Cantibus, & ſubiti veniant è carmine motus:
Cornua militiæ ſignum Nauarchus & alta
Tympana ſubſtituat, ſonitumq́ accommodet armis:
Horribiliq́ viros fremitu in certamina mittat.
Quid Medicum ſileas, qui vulnera deligat? acri
Hîc opus eſſe manu, claroqúe opus eſſe Magiſtro
Duxeris. Hunc equidem ſi prælia forſan adibis,
Haud patiare virum ſupera inter tela morari:
Aut pugnas tentare manu, partemúe laboris
Suſcipere, ac tumidos arcere à nauibus ignes.
Infra vndas, infraq́ ſalum, ſubtusqúe tabellas
Tutus agat, cautóq́ habitet ſecreta cubili:
Quò neq́ ſæua adigant funeſtas ſulphura mortes,
Nec lita pila citis immittant vulnera membris:
Ardua præſentem donec res poſcat. at iſtic
Officij nullas tum partes deſerat. inter
Ire redire manus, interq́ meare phalanges
Haud dubitarit. adeſt rectum fortuna ſequenti
Euentusq́ regit, nullósq́ paueſcit ad enſes.
Hunc in honore etiam deceat verſarier: vt qui
Pharmaca læta gerat: quibus aut in funera vitam
Mollius exſoluat: dubio aut è funere vitam
Liberet: aut fractos iubeat ſolideſcere nexus,
Et luxata cauos referat tibi membra ſub orbes.
Nunc etiam ſubitæ quidam pietatis amantes,
Præconem verbi cœleſtis in ardua ſecum
Tendere bella volunt, pugnisq́ adſtare cruentis:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Longè alio, veteres quàm quo de more ſolebant
Supremas tentare manus, & cernere ferro.
Illi etenim tota pietatem ætate ſecuti,
Nil formidabant quo tandem tempore duram
Oppeterent mortem: quaúe è ſtatione vocati
Exuerent dubios humani corporis artus.
Aſt animum nunc prima ſubit reuerentia cœli,
Cum nos cura premit, vitæq; extremus agendæ
Terminus incertos reddit morientibus orbes
Aethereos: cum nulla feram ſolatia mentem
Erigere, ac mortis lenire pericula poſſunt.
Utcunque id ſibi quiſque paret, fateare miniſtrum
Utiliter duris comitem ſe adiungere bellis:
Qui conſolando præcordia firmet, & intus
Perficiat certam verbo medicante ſalutem.
Iamq; manus celeri impoſita eſt extrema Carinæ,
Cum ſe commendet ſuperis fiducia. ponto
Puppis eat, mediosq; inter det carbaſa ventos,
Et cauſæ merito, ſi non ſiet improba, fidat:
Hoſtilésq; vocet dura in certamina claſſes.
Largior inuiſo bellum ſuccreſcere partu
Progenieq; fera. Pax eſt optanda quietis
Ingenijs: Sed enim furioſi pectoris iras
Mars domat, ac ſtultos compenſat clade furores.
Ergo vbi decreto tellusq; ac æquora bello
Ardeſcunt: curæ fuerit deducere claſſem,
Quam regere imperio & velis propellere poſsis,

Remo-

Remorumúe bono. nihil eſt maiora parari
Nauigia, æquatis quàm quæ torquere lacertis
Et proferre queas, ventiſq; agitare ſecundis.
Quorſum etenim ingentes nodoſáq; robora quercus,
Ingentéſq; etiam ſyluas, & montibus altis
Eruta ligna vehas? labor eſt immenſus, & omnem
Exſuperans hominumqúe fidem pretiumqúe repenſi
Sudoris, coëunt tali cum pondera nexu:
Quæ neque truſa loco, neque flamine pulſa moueri
Aſpicies: quæq; humanis nihil vſibus addant
Eximij. potius quin damna immania reddunt
Si cedant hoſti: ſi triſtior aura furenti
Deijciat pelago ſteriliq; illidat arenæ.
Talis erat quondam Ptolemæo ſtructa Tyranno
Puppis, in enormes quæ pondere creuerat artus
Tantiſper: nihil vt ponto vel ducta moueri,
Vel ſeſe humanos ſubtendere poſſet in vſus.
Ergo age, menſuram rebus decerne, nihilq;
Vltra efferre modum, ſupraqúe extendere vires,
Aut æquare velis ſuperis. pulcherrima virtus
Eſt Modus. hic certo deſcribit maxima fructu,
Et quibus indigeas accommodat vſibus vſus.
Eſt tamen vtilitas quæ ſuaſerit altius ipſum
Interdum robur, cataſtromatáq; ardua duci:
Quòd facile haud fuerit ſubiecta è valle tumentes
Scandere monticulos ſupraq; aſcendere colles:
Et bello feſſos faſtigia in ardua niti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Cum tamen è ſupera liceat regione minores
Deturbare loco: grauibusq́ue inſiſtere ſaxis,
Et iaculis implere manus, & trudere victos.
Qua certè cauſa vtiliter fortaſsè parentur
Paucæ aliquot magno in numero: quæ lege modoq́;
Formarumq́ue bono ſuperent. Prætoria quam ſe
Vindicet in molem, totóq; è vertice ſupra
Emineat, cunctasq́; inter ſit maxima puppes:
Si ratio ferat, ac tantos res approbet vſus.
In reliquis tenuiſſe modum tutiſsima res eſt.
Denique ſi libeat quæ ſunt pulcherrima iuſtis
Inſcripſiſſe notis, laudaréq; maxima fas ſit:
Regia ſanè equidem res eſt, ratis ampla ſuisq́;
Firma foris: nihil ornatus cui deſit & altæ
Structuræ: quæq́; hoſtiles terat obuia claſſes:
Ac meritum celebres populorum nomen in oras
Mittat, & æternam pariat non territa laudem.
Hoc claram primas memorant ſtatuiſſe Corinthum
Fine rates, altóq; vagas egiſſe Triremes:
Cum Corcyrenſi mouiſſent prælia terræ,
Naualésq; manus vicina in regna tuliſſent.
Has etiam Samijs Aminocles vrbe Corintho
Accitus promouit opes: qui robore puppes
Quatuor extruxit Samio, primasq́ue reliquit
Centibus hijs: verſam cum iam tria ſecula Troiam
Aſpicerent leuibus velut inſediſſe fauillis.
Iônes hinc medium ratibus tentantibus æquor,

Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hinc Siculi valuere, acres valuere Pelaſgi
Phocenſesqúe viri: quorum tenuere Nepotes
Maßiliam, & forti Lybiam domuere phaſelo.
Temporibus creuere rates: tenuiqúe rudiqúe
E` fundamento moles fuit addita. longas
Vno omnes penè ore vocant. ea proxima primis
Cura fuit patribus, nomenqúe inſcribere remis
Ordinibusq́; quibus cum pelli machina poſſet,
Hoc equidem numero diſcrimen adepta, ferebat
Ingentes factis titulos: pontumqúe ſecabant
Et varia fatum tentabant lege Triremes.
Quidúe ego Græcorum pugnas, quid plurima gentis
Prælia geſta mari deductaq́; carbaſa dicam?
Quid Xerxis claſſem qua non instructior vlla
Intulit Aegeo funeſta pericula ponto,
Oppleuitq; ſalum ratibus: pelagóq; cathenas
Inÿcit, ac celeri conſtringit littora vinclo.
Stultus, qui indomitam Neptuni principis iram
Officio placare ſtudet. Deus iſte Tyrannos
Punit, & iniuſtos animorum deſtruit ignes.
Hanc igitur duplici quaſſatam clade Pelasgos
Attriuiſſe ferunt: partem merſiſſe profundo,
Partem agitaſſe fuga, cunctas turbaſſe, leuiq;
Momento afflictam pepuliſſe ex æquore claſſem.
Vſque adeò humanis nihil eſt aut viribus, aut re
Nitier incautis. miſcet fortuna dolores
Multaqúe dura ſtruit: quæ cum Venere, fatentur

Iudicio pleriq; Deûm veniſſe, ſuperbas
Qui voces hominum ſceleratáq; pectora ſternunt.
Tum verò & ſuperis facile eſt, ingentia ſæpè
Robora pertenui tantum ſubuertere dextra,
Atque inſperatam ferre in pia vota ſalutem.
Principe gens igitur cum tanta Themiſtocle bella
Conficeret, patriæ laudémque ac ocia terræ
Intulit, ac Græcas cumulauit honoribus vrbes:
Et Salamineo clara eſt victoria bello.
An'ne Aegos ſileam potamos? vbi maxima ſummi
Principis, eximio ſtratagemate cognita virtus
Enituit? Dubia eſt hominum fortuna, nihílque
Propoſiti conſtantis habet: ruitura vagatur
Per præceps: quantumqúe aditu faſtigia rerum
Prendit, & in dubios ſeſe confirmat honores:
À ſolido tantum fundamine cedit, & altas
Iam pridem fraudes, mutandáq; lumina voluit.
Euehit, vt perdat; riſumqúe in funera vertat.
Id'ne Vrbs vna quidem magno ſatis Attica ſigno
Edoceat? nihil hac toto penè altius orbe
Cum foret: humanos inter quæ celſa labores
Dicere facta queas, titulíſque ornare ſuperbis:
Vt quæ vera deûm ſedéſque & cura fuiſſet
Muſarumqúe domus, diuináq; regia claræ
Palladis, & doctæ ſchola ſuſpicienda Mineruæ:
Quæqúe etiam rigidos murum ſe obiecit in hoſtes
Barbaricáſq; manus: cupidam cum læta ſalutem

Argolicis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Argolicis grato pareret certamine regnis.
Attamen ingentes commoti numinis iras
Senſit, & amiſſa ſub Libertate peribat.
Quæq; olim victrix ratibusq; viriſq; potita eſt
Imperio maris, & celebres ſtatuiſſe triumphos
Viſa ſit, ac laudum titulis ornare Nepotes:
Lyſandro pugnante ruit, claſſémq; ducésq;
Perdit, & euerſos Spartano cedit honores.
Quid Rhodios memorem? nam Mithridate Tyranno
Et turbante fretum, vicináq; regna premente,
Inſtruxere rates: pelagóq; inferre Triremes
Dierésq; parant: totóq; expellere ponto
Aggreſſi magnam patriæq; viriſq; ſalutem
Principe Damagora expediunt: virtutis adepti
Nomen, & eximias propter certamina laudes.
Attalus hæredes Romanos ſcripſit. at idem
Cum Macedum ſæuo tentaret marte Tyrannum:
Nauali celerans bello ratibusq; ſecundis
Depreſſit tumidi claſſemq; viroſq; Philippi:
Et latè toto regnabat in æquore. quamuis
Incauto nimium dum victa furore perurget,
Diſcrimen ſubijt, quo victus penè videri
Poſſet, & hoſtili ceſſiſſe in littora pugnæ.
Sanè equidem dubio victoria penè trophæo
Incertos peperit facta ob contraria plauſus.
Quid Latiæ referam ſtudiumque & prælia gentis
Extructáſq; rates: cum iam Carthago petenda

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aut delenda fuit? vel cum Pirata proteruus
Immenſumq́ furens pelago turbandus, & omni
Depellendus erat Sardoi littore regni?
Res ea Pompeio meritam penè vnica laudem
Attulit: Hemiolos quòd fregerit hoſtibus: atq; hac
Securos etiam re iuſſerit eſſe Quirites.
Huc etiam Antiochi bellum memorabile, quo ſe
Romanos contra medijs armarat in vndis,
Pertinet: hoc ipſo referendum denique, ne quis
Infractam Ducibus mentemqúe animumq́ negarit:
Aut non Auſoniæ quæ ſunt ampliſsima genti
Deferat, ac Latio ſummos adſcribat honores.
Mirum autem eſt fato rem diſpenſante, per omnes
Seclorum ætates ita Martia prælia volui:
Ut non defuerint vlli ſua plurima genti
Robora, quocunq; hæc conſtare ex ordine cælum
Et fortuna dabat, patrióque æquabat honori.
Cunctæ ſemper habent aliquid, quod dixeris eſſe
Præcipuum. numero liceat factóq; tueri,
Quæ ſua ſit populis ſtudia in pulcherrima, Virtus.
Hunc alacer plerunque animus ſuſtentat: at illum
Sobrietas, rerum ſic ordinat vſibus: vt cum
Viribus haud vincat, poterit tamen ardua claro
Vincere conſilio. hic celeres in prælia motus,
Hic lentos greſſus, at pectora firma. ruendo
Hic ſe præcipitat: cunctando fregerit hoſtem
Alter, &, vt bellum poſito trahit impete, vincit.

Congre-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Congrediendo aciem multi experiuntur: at iſtis
Pro more eſt ſeſe fugiendo vlciſcier. vt nil
Armorum genus, & populorum plurima dicam
Quæ fortes etiam ſubigunt ſtratagemata gentes.
Una Ducum ſemper vario ſpectetur ab vſu
Uirtus: quæ cœlo veniat cum firma parente:
Mirum eſt, ſe quanto vel promouet arte, vel vſu
Creſcit, & innatos quanto ordine concitat ignes,
Ut proſint. equidem ſi quis fortaſſe latebras
Has animi vero depingere lumine poſſet:
Proh quantas ſtudij formas, quæ luſtra citatæ
Mentis, & incenſi quas demum pectoris artes
Congeſtósq; animis cuneos, hîc quemq; putaret
Eſſe reperturum? nihil eſt conferrier hiſce
Cætera magna. equidem vincit ſpeculatio: qua quis
Inſidias hoſti ponat, quibus agmina vincat
Ingenijs, quanto ſtratagemata vellicet vſu:
Et ſua per dubios firmet veſtigia greſſus.
In cœlo memorant aduerſos ſæpe planetas
Mutua virtutis ſublidere fœdera. Sed quid
Iſta etiam noceat demum tibi pugna, voluntas
Qua nihil impediatur: & eſt rationibus ipſis
Sic locus, vt menti ſit libera palma, licétq;
Quod libeat? ſedenim Ducibus certamina fonte
Ex alio veniunt: vbi non feciſſe licebit,
Quod libeat: totis ſed agendi tota facultas
Viribus excedit: cum ſe rationibus acri

Obijciat ratio plerunque examine: vel cum
Nunc aliam trudit, ſua nunc fallacia ſeſe
Munit, & aduerſum ſe quilibet vrget in hoſtem.
Proh animi ſtudia & vigiles in funera mentes.
Cumq́; ea iam penitus poteris prenſiſſe videri:
Quàm facilè excutier tete contingit, & omnes
Amiſiſſe vias, quibus aut conſiſtere poſſes,
Aut fugere? an'ne aliquot paria exacuendo parentis
Deduxit tibi cura Dei: quæ prorſus haberi
Conſpectum fas ante ſiet? fortaſſe Saulem
Opponas Dauidi, atq; hos in limine primo
Conſtituas. nam quos iam ſecla priora ferebant
Eximios, nihil huc tranſferrier attinet. aut quis
Hectora non etiam commiſſum nouit Achilli?
Ceu Macedum regem oppoſuit fortuna Dario:
Perſea ceu Emilio. Aeneam ſibi Turnus ouando
Depoſcit: veluti Pompeium Iulius hoſtem,
Fabritius Pyrrhum: Tygranem iuſta Lucullo,
Et ſua Flaminio tumidum præmit ira Philippum.
Quid moror? Hannibali cum Scipio maximus eſſet
Obiectus, virtuti omnes ſors extulit vrnas:
Appenditq; rata pretium ſub lance. priores
At verò partes Latio ceſſere: fugatur
Hannibal, ac celeres tradit Carthago liburnas.
Antiocho ſed enim poſtquam ſe in pacta Tyranno
Iungit, & Auſoniæ Pœnus creat altera genti
Prælia: cum claſsi præfectus in æquora bellum

Per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Pertrahit, àc veteres, ſi quid fortuna ſecundet,
Ulciſci caſus, Romanáq; culmina tentat:
Scipio deligitur, qui contra educere claſſem
Debeat: ac ſi quid vel virtus inclyta, vel res
Ipſa boni tribuat, Romam tueatur & vrbem.
Commiſſa pelago pugna fatum impulit vrnam
Hannibali, & lætas excuſſit in æquora ſortes,
Euertitq; virum: Latios victoria toto
Extulit aſſe Duces: primísq; eſt Scipio bellis
Magnus, at his etiam nunc tandem eſt maximus armis.
Sic quocunque manus, quocunque iter Hannibal vrget:
Ex vno ſibi fata viro condíue premíue
Cernit, & hac ſeſe victum virtute fatetur.
Planè equidem oppoſitas natura has æmula lites
Induxit. nec enim dubium eſt, quin vnus in vnum
Præcipuè armetur: quo tanquam cote vel acres
Limando morſus capiat laudemqúe ſequatur:
Vel Nemeſi incenſus maiores vltor in ignes
Incidat: ac fines tranſgreſſus facta reſoluat
Vincendóq; ruat, & ſpe ſibi funera firmet.
Præterea Actiaco certatas littore pugnas,
Præliaq; oppoſitis tunc edita nauibus eſſe,
Quis neſcit? ſanè hîc Pontum celebremq; videres
Feruere Leucaten, magníq; ad Cæſaris arma
Intremere, & cunctas metuiſſe aduerſa liburnas.
Excuſſus votis Pharias Antonius vrbes
Aegyptumq; petit. fugientem Regia coniunx

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Subſequitur: quæ Romanos vt victa triumphos
Eludat, diro ſerpentum vulnere mortem
Conſciſcit: fatoq; aut tetri carceris vmbras,
Aut longos luctus indignáq; tædia rumpit.
Deniq; quis cunctos bellorum dixerit ignes,
Conflictusúe canet medij maris: accola multo
Quæ ſudore geri præter ſua commoda vidit?
Quis Siculi claſſem populi, Samiasúe Liburnas
Phœnicumq; trabes, Aetoliáq; agmina narret:
Aut hæc noſtra ferat Libycas in ſcripta Carinas?
Scilicet ingenti Pontus ceu laude redundat,
Geſtorumqúe operum merita virtute tumeſcit.
Ut nihil Euboeis, nil Corcyrenſibus eſſe
Cycladibusúe poteſt hac fama maius: honeſtis
Qui ſua iam pridem decorarunt nomina bellis.
Quid circa Venetæ ſtudium naualia gentis
Eximiasq; rates populi: quid prælia dicam
Qua pridem extendunt Veneti pomeria regni?
Illa equidem illuſtri Reſpublica laude redundat,
Et famam cumulat factorum mole: vbi gratæ
Præmia Virtuti non deſunt. gloria creſcit
Officio, & ſacras gens inclyta promouet artes:
Inſiſtitq; dijs, & ſpe ſua tecta coronat.
Nec tantum grauibus res eſt ea publica bellis
Clara: ſed hoſpitijs & honeſto moribus vſu
Innotuit populis: quos huc pia fama beatæ
Attrahit vrbis, & hos, fortiſsima mœnia, Ciues

Aſpicere,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Aſpicere, & rerum commercia cernere mandat.
Indicium Regina fuit, cui noſtra benignæ
Dania parebat: cum voto obſtricta ſecundo,
Prima ſalutaret metuendæ limina Romæ:
Inferretq; pedes Latio, comitata Maritum
Qui Solymos adijt longinqua pericula muros,
Aut aditurus erat, ſi quid licuiſſet honeſto
Propoſito. Sed enim cum fortè reuertitur, vrbem
Dorothea ingreditur caſtis comitata puellis
Illuſtriq; choro: celebriq; excepta Senatu
Principibusq; viris, habita eſt, quo more decebat
Reginam, Venetæ placidiſsima pectora gentis
Et ſentire fidem: Marcello principe, cui tum
Publica res commiſſa fuit. fert præmia virtus
Aeternamque gerit ſtudia ob gratiſsima laudem.
Dij faciant florere bonos, & proſpera firma
Tendere fata baſi. laus eſt feciſſe benignè,
Et ſua venturis memorarier acta Poëtis.
Quin noſtris etiam res Nautica gentibus olim
Valde exculta fuit. neq; enim minus agmina Dani
Præcipuasque rates & firmæ robora claſsis
Oceano intulimus: ſeu res fortaſsis in Anglos,
Seu Callos tentanda fuit: ſeu deniq; multo
Quæ vicina forent deterſimus æquora remo.
Sæpè equidem placidos crudelior hoſtis & ira
Percitus accendit. ſæpè eſt iniuria quæ te
Mouerit, interdum contentio vana quietos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Excitat, ac ſubito multos velut implicat igne,
Exiſtitq; lues regnorum & funera ſurgunt.
Nonnunquam incertum eſt quo demum prælia fonte
Orta fluunt. Sed enim tum diuûm magna poteſtas
Hoc mortale genus certa in ludibria mittit:
Eq; alijs alios punit. communiter ire
In pœnas & damna iubet commercia Martis.
Quis magnum Frotonis opus, terreſtria bella:
Quis ductas pelago claſſes ignorat, & illa
Præclari monumenta operis: quibus arma ducésq;
Hunnorum, & celſos Orientis fregit honores?
Scilicet immenſo res eſt perfecta cruore
Impenſisqúe virûm, quibus inclyta pectora Virtus
In pugnas armare dedit, dominumqúe tueri,
Et rigidos gelidum non expalleſcere ferrum.
Aut quid ego Haraldi fatum memorabile dicam
Ringonisq; dolos: aciemqúe vtrinque coactam
Multiplicesqúe virûm diuerſa in funera mortes?
Ille equidem regum multò clariſsimus acri
Imperio Danos & honeſto more gubernat
Impauidus: Senio confectum donec & annis
Deturbare Nepos vitaqúe expellere certat.
Nec res effectu caruit. concurritur: & ſe
In Brauellinos fundit Victoria campos,
Alternátq; vices: Sueonumqúe amplexa Tyrannum
Haraldo vitam triſti ſub funere mergit.
Interea haud dubio claſſem molimine Danus

Educens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Educens, numero pelagusqúe impleuit, & omnes
Oppoſuit vires. at cum fortuna recedit,
Non acies tantum ſed ponti robora ſecum
Intulit in Sueones, auxitq; ea regna triumphis.
Denique quid magni memorauero bella Canuti,
Suenoniasqúe rates? quid clari prælia dicam
Valdemari: cum vel noſtri pomæria regni
Dilatant, ſæuos vel ſe vlciſcuntur in hoſtes,
Depelluntqúe ſuis rigidos ceruicibus enſes?
Sclauia ſcit, Ruſsiq; feri, Liuonia, Gotthi:
Et quoſcunque graui tentauit Dania Marte,
Impoſuítque tributa viris: aut pace ſequeſtra
Aſſeruit ſocias manifeſta in commoda gentes.
Quantum autem ad veteris longiſsima tempora mundi
Attinet, haud equidem minima virtute putarim
Nortuagios valuiſſe viros: quibus iſta gerendi
Eſt belli ratio: vt terra cum penè vetentur
Agmina moliri ac acies extendere, ponto
Rem plerunque gerant, claſſemqúe in prælia mittant.
Gens ea ſidereos inter colit aſpera montes,
Ingenijs non tarda, manu nec vilis: & ipſo
Armorum ſtudio, cum virtus eſſet in armis,
Poſtremas inter non commemorata phalanges.
Nauali certè meruit certamine laudem
Et ſæpè, & varios contra cum conſtitit hoſtes,
Confligens: quocunque tulit fortuna ruentes
Alternatq; vias, & prælia cædibus auget.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nauibus at longis ita rem conantur: vt vno
Ordine remorum Scalmiſq́; æqualibus altas
Aerea puppis aquas roſtroq́; extante ſecarit,
Impuleritq́; latus lateri, & de puppe ſimulq́;
E' prora duplici pugnarit acumine: ſtratas
Vix iſto poteras ſeclo reperire liburnas.
Multa autem claræ ſunt illius ardua gentis
Prælia: fluctiſonum quæ geſta per æquor auitos
Maiorumq́; animos & fortia pectora pandunt.
At nullis virtus nituit conſpectior vndis,
Quàm cum Vandalicis delatus ab vrbibus, inde
Trygſonius Suecos, hinc Danos pertulit hoſtes:
Amborumqúe rates ita ſuſtinet vnus: vt iſtum
Vertere vela fuga victor conſpexerit. aſt hunc
Ceu contemnendum ſibi duxerit eſſe: quòd eius
Iam pridem fracto fortunam incedere greſſu
Dixerit, ac nullo iactatum ſciret honore.
Sed quid ego hæc iam priſca ſequor? ſi tempora ſpectes
Noſtra etiam: fuerint, meritò quæ pectora laudes
Cumprimiſq́; canas. Doriam quis neſciat? aut ſi
Noſtra tibi libeat, quæ ſunt præclara, tueri:
Quid maius Seuerino habuit, quid fortius omnis
Dania? non illi ſe quiſquam impune proteruus
Obiecit: ſeu fortè manu, ſeu fraude doliſqúe
Tentabat noſtris inferre pericula regnis.
Hunc tu propulſum grauibus Florentia fatis
Cum rapis audacem, & poſcentem prælia ſternis:

Ipſe

Ipſe quidem ſubijt mortem: tibi gloria facto
Creuit: in hoc etiam meritò celebranda, quòd illi
Tute viro buſtum fieri ſic iuſſeris: vt nunc
Dormiat hoc fœlix Hetruſco Norbius antro
Multiplicetq; vrbi decus, & virtute coronet.
Quid verò? Herluſſum, Trollorum è ſanguine, nunquid
Muſæ etiam ſileant? fuit hic vir ſtrenuus, armis
Hiſce recens notus, magno quibus ardua ſeſe
Regna affligabant, cumulareq; vulnera bello.
Hic aliàs cum ſe fortem præſtabat, in illa
Præcipuè pugna ſpecimen tamen extulit: acri
Qua Magloſa manu leuibus depreſſa ſub vndis
Intulit iniectos Neptuni ſedibus ignes.
Illa tuas inter rigidiſsime Suece Carinas
Viribus & magno ſuperabat robore: ſic vt
Hac Danos ſola proſterni poſſe putaris:
Perculſoſq; metu toto tibi cedere ponto.
Et certè haud minimo tentaſſes maxima fructu
Sæpe etiam: ſi non Herluffo autore ſubiſſet
Baggius has noſtras, quibus eſt delatus, in vrbes.
Sed non humanum eſt fœlici proſpera ſemper
Prendere vota manu: veniunt ſua triſtia lætis
Mixta. nec eſt homini fortuna ita blanda, ſecundis
Vt rebus ſemper queat ac ſucceſsibus vti.
Quanquam quid plores, quem ſic mors abſtulit: vt cum
Præclarè geſtis ſit gloria iuncta? dolendum
Quin potius ſtatuas ita demum viuier: vt iam

Si vera ratione putes, tibi vita pudori
Penè ſit, ac nullo migrent tibi ſecula fructu:
Ille autem egregio valuit vir acumine, nullo
Territus impulſu: quem pòst conflictus atroci
Nauticus abſumpſit perstrictum vulnere, quamuis
Victorem: ac latè fundentem cædibus hostem.
Ergo dies aliquot tantùm cum vita superstes
Eſſet, & adduci non poſſet vulnus: honestè
Ceu decuit, vitámque atq; hæc terrena reliquit,
Pro patria occumbens: tam facto clarus & armis,
Quàm larga ditiq; manu promptiſsimus: vt qui
Cum multis etiam conferri iure Monarchis
Hac virtute queat. ille est, qui tanta Camœnis
Subſidia, æternum ſeræ potienda iuuentæ, &
Herlufsholmenſi pariter manſura Lyceo,
Decreuit. cui ſe facto largiſsima coniunx
Aut ſanè authorem, aut ſociam dedit eſſe: beatis
Orta parentibus, & studijs ad maxima nitens
Ipſa etiam: ne quid Goiorum deſit auitis
Laudibus: at diti potius ceu lance bearit,
Quas propter diti ſuperabat lance, Camœnas.
Quin nihil hîc etiam magnis Naualia Suecis
Culta, ſilenda putes. gens est ea plurima ponto
Strenua: cui circum virtus præcordia læto
Constitit aucta bono. Regi, cum iusq; piúmque
Ex æquo populis statuit, fidiſsima. nuſquam
Impellenda minis, nuſquam terrenda periclis:

Quin

Quin libertati nitens vel iura vel enſes
Mouerit, ac vitam pro laude paciſcier auſit.
Sanè equidem quo ſe nunc bello Dania, quo ſe
Suecia multiplici laſſabat acumine, Virtus
Eſt Sueonum conſpecta: mari qui ſeqúe ſuósque
Egregios præſtare viros: dum ſæpè per vndas
Nunc hoc nunc illo fortes certamine Danos
Exercent. equidem humani nil pectoris illis
Ingenijq; deeſt. paulò maiore feruntur
Ambitione: ſed hæc virtutem haud obterit: vt quæ
Virtuti potius vel condimenta, vel vſum
Adferat, ac rigidis occaſio gentibus extet:
Vt quæ clara ſient vera è virtute ſequantur.
Nam ſic magna quidem cupere: vt virtute relicta
Hæc cupias, non tam ambitio eſt, quàm ſumma putetur
Stulticia: helleboro quæ vel purganda, vel acri
Fuſte domanda ſiet. deceat rationibus vti,
Quas monſtrat Virtus & Numina iuſta probarint.
Interea non me reticere ingentia Vatem
Fas externa ſiet. ſint clara domeſtica: ſed ſunt
Illa etiam maiora: quibus Deus inijcit hoſti
Immani frenos, pretiumqúe paciſcitur orbem.
Sanè ego cum Venetos atq; hæc præſentia ſpecto
Prælia, quo ſe nunc gens vindicat inclyta bello,
Et Libertatem coniunctáq; iura tuetur:
Cumqúe hoſtes, odiumqúe, inimicáq; tela, grauéſq;
Intueor numeros: cum deniq; fœdera noſtris

Condita, cum ſocios, cumq; omnem ſedulus appa-
ratum, & res animis quibus eſt tentata, manuq;
Conſilioq;: rates etiam, & quibus vſa miniſtris
Præfectisqúe, quibus Ducibus Reſpublica ſeſe
Hoſtibus obiecit: tum quo victoria motu
Quo pretio petitur, totus conſidero: prorſus
Huc meme Vatem tulerit ſententia: vt iſto
Non aliud maius cuncta inter ſecula bellum
Arbitrer oppoſitis conflatum viribus eſſe.
Non ego vel Xerxem, vel Athenas neſcio: nec quæ
Euertere grauem Lacedæmona prælia. noſtris
Attalus eſt muſis notusqúe Philippus, & acer
Iulius, & victus ſubitis Antonius armis.
Aſt ea præſenti ſi quid conferre periclo
Fortaſſis libeat: luſumqúe iocumqúe fuiſſe
Dixeris, ac tenui commiſſa ea robora neruo.
Hoc verò bellum, ſi quid Virtutis auitæ,
Si quid conſilij aut magni conaminis vſquam eſt,
Vnum habet. huc vires Aſia: huc fera Thracia neruos,
Huc Græci puppes: Aegyptus & Africa turmas
Contulit. huc ſi quid Solymanno à principe partum
Congeſtumqúe fuit: nummi, tormenta, Carinæ,
Tela, manus, animi, ſtudium, contentio, cauſæ,
Incubuit. tam longa quies hos deniq; fructus
Extulit: hos reddunt infida ſilentia motus.
Contra autem Venetæ Reſpublica gentis honeſto
Militat officio: quanúmq; vel æra, vel enſes

Expedit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Expedit, ac ſacro firmat rem fœdere, tantum
Obſiſtit: totasq́ue infert in prælia vires
Perrumpens. nec enim læuia aut ludicra petuntur
Præmia. de magno regnorum limite certant:
Et libertati quæ ſunt ſua iura tuentur.
Id Superi donent: Venetos florere bonorum
Vſu hominum ſemper: ſemperq́ue excellere claris
Ciuibus: Heroum qui imitati facta ſuperbum
Crudelemq́ue adeò generisq́ue ac ſanguinis huius
Noſtri hoſtem exſcindant: & fortiter arma capeſſant
Pro patria, ac ſtudijs ſatagant proferre ſalutem
Communem. quid enim? Venetæ eſt induſtria gentis
Et labor, & magnis ſunt iuncta pericula factis,
Ingentésq; adeò ſumptus & cura: quibus tu
Ceu muris iam lentus agis. cum limina ſeruat;
Tute intus ſub pace latens ſine clade metuq;
Ocia ſectaris. nec adhuc dignabere voto
Tutores? propriam qui vitam impendere certant,
Vt tibi ſalua ſient, quæ tu tibi ſalua precaris.
Aſt ingrata quidē eſt hominum pars maxima: qui quid
Bella ferunt cladis: pariunt quos arma dolores,
Ignorant: ſæuis quòd nec pars vlla periclis,
Nec fuerit membrum patientis triſtia regni.
Et tamen eſſe etiam quoſdam fateare, bonosq;
Et fortes, magnis qui animorum motibus iſtuc
Reſpiciunt: Venetasq́ue manus populumq́ue modeſtum
Commendant Superis, votóq; ſequuntur agentes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Multa autem eueniunt ſectantibus arma: nec omnes
Incolumi redeunt vetera ad tentoria vita.
Hos morbi abſumunt: hos frangunt vulnera: quoſdam
Hoſtica tela necant. multos rapit vnda famesúe:
Aut vario clades ſubit inter prælia caſu.
At quocunque modo, quacunque ex ſorte periclum
Venerit: eſt facto ſua Gloria iuncta. tametſi
Hos ego præcipuis tollendos laudibus eſſe
Cantandósq; putem: quos vel victoria lætos
Rettulit in patriam: vel ſi fortaſſe neceſſe
Occubuiſſe fuit: pugnantes fortiter æſtu
In medio patria pro libertate vouentes
Seq; ſuosq;, bonis rapuit mors æqua: dabatq;
Exemplum reliquis, quo laudem ac bella ſequantur.
Sic Barbarigum fama eſt cecidiſſe: virum, qui
Conſilijs ſuaſit, fuerant quæ recta: manuq;
Fortiter vſus, iter cœlo ſibi ſtruxit: & altam
Tranſmiſit laudem, victuram victor in vrbem.
Ne reliquos referam: quos vel fortuna ſub iſto
Conflictu ſtrauit: vel res bene geſta ſecundo
Reddidit euentu. peperit ſibi præmia Virtus,
Quæ durent. Cumq; hac memorant de laude minores:
Maiorum caſus & fortia pectora narrent.
    Sed quid ego hæc? veteri Deus & fortuna Tyranno
Infeſtoq; hoſti, muros obiecit auita
Subnixos virtute: quibus Reſpublica laudem
Maiorum acceptam ſtudijs tueatur: eóque

Quo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quo primùm cepit, duret ſub principe. celſi
Auſpicijs cœli, Chriſtóq; authore beatas
Inter aquas creuit. ratibus res prima ſecundis
Aucta, etiam ratibus ſeruanda eſt deniq;. Quod ſi
Iſte Aſiam, Europamq́ue ſimul commouit, & Afros
Oppreſſamq́; trahens Ægyptum exciuit: vt vnam
Nec malè commeritam, nec acerbam gentibus Vrbem
Obruat, ac Latio cumulet noua funera regno:
Iniuſténe putas fieri, Reſpublica ſi ſe
Præſidijs quacunque via, quocunq; labore
Muniat, ac tutos reddant pia fœdera ciues?
Verum eſt, euentus cœlo pendere: ſed hîc ne
Interea tibi quid deſis, & cœlica ſuadent
Numina: & eſt ratio, quam non ſubuertier arte
Poſſe putes. magno certanti præmia conſtant:
Sed conſtant tamen. & conanti fortiter, ipſum
Et decus, & virtus, & fata æquiſsima firmant.
Tu verò quicunque procul ſemotus, ab aura
Hanc tantùm famam longisq́; relatibus hauris:
Id potius niti votisq; animisq; fidéq;
Et pietate velis: ſupero hæc vt bella Tonanti
Commendes: ne quam Venetum Reſpublica cladem
Haud tolerandam adeat: ne ceſſerit hoſtibus. aſt ſe
Pro toto hoc noſtro fœliciter aſſerat orbe,
Et nihil auerſi veniant ad claſsica venti.
Cætera perficiet Chriſto duce neſcia Virtus
Labier, & claros pòſt adductura Triumphos.

Deniq; iam ſtructis ſunt multæ puppibus Urbes
Latè etiam notæ: quòd vel commercia, vel rem
Bellicam & arma colant: vel vtroq; ex ordine nomen
Inſcribant faſtis, pontumqúe ob lucra ſequantur.
Sanè equidem ſi quis Genuenſia carbaſa longis
Retrò etiam ſtudijs, priſcæq; ætatis in vſus
Intueatur: erit dubio procul vnde fateri
Hos ratibus valuiſſe queat: quo tempore lætos
Orbita deduxit ſua per veſtigia curſus,
Coniunctósq; animos ſocijs, & amica ferebant
Pectora. pòſt vbi ſe mediam contentio ſæuis
Intulit, ac mentes diuulſit tetra colubris:
Res peſſum delata, nihil conſiſtit eodem
Amplius æqua gradu. minor inde potentia magnas
Interdum peperit diuerſo ex fonte ruinas.
Qui ſapit, oblatas fortunæ vbi ſtrenuus anſas
Corripuit, multo nitatur acumine, ne quod
Se prendiſſe putat, vel agendi more vel vſu
Haud ſatis ingenuo ſubuertat. ea omnibus vna
Caſibus eſt ratio, vt ſi non ſapientia nexus
Inijciat, remoráq; graui conſtrinxerit hoc quod
Fortuna donante capis: maiore ſubinde
Impete ſubuerti cernas, quàm denique partum
Congeſtumqúe fuit. lenta eſt progreſsio, cum quid
Decernunt tibi fata: citos priuatio curſus
Explicat, ac celeri procumbunt fracta ruina.
Quod pariunt tibi mille, feruntq; laboribus anni:

Hauſerit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hauſerit vna dies. veluti cum machina paruo
Soluitur igne, cui pangendæ plurima vix ſunt
Secla ſatis. Quod Dij tribuunt, virtusq́ue miniſtrat,
Hoc durat, verasq́ue infert in præmia laudes.
Quin ratibus præſtant Hiſpanica littora, cum ſe
Multiplici expediunt diuerſa per æquora claſſe:
Ignotasq́ue petunt ſemoto è littore terras,
Et ſua ſæpè gerunt propter commercia, bella.
Tum verò & Galli, Scotiq; Angliq; beato
Ante quidem cellunt ſtudio maris: æquora cum vel
Exercent bellis, vel merces puppe ſequuntur,
Externasq́ue adeunt ſpacijs diſtantibus vrbes.
Hoc equidem ſeclo Danis naualia longè
Exuberant ratibus. Quid Lubecenſia dicam
Oppida pulcra? colit gens hæc quoque prima Carinas,
Multiplicique ſtudet proferre hæc commoda lucro.
Urbs ea non vlli cædit ſplendore, boniq;
Communis fama. tanta eſt induſtria, tanti
Conatus: reddant vt mœnia clara, nihilq́ue
Quod Ciues læta cumularit ſorte, relinquant.
È tenui cepit rerum fundamine. ſed ſe
Huc virtute quidem promouit, vt omnibus vna
Nunc præſtet: noſtri quæ ſpectant littora regni,
Vicinosq́ue colunt, fœdusq́ue ac iura tuentur.
Sanè equidem hoc quod triſte recens exarſit & ipſo
Funeſtum motu: quo ſe iam Dania bello
Et Sueones, ceu colliſis affligere neruis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Certabant: magnis Lubecum viribus & re
Egregia præclaram operam nauauit: eoq́;
Fœdere cum Danis ſic conſpirabat: vt vſu
Profuerit, quantum res ponto est acta: ſimulq́;
Aestatis blando perduci tempore poſſet.
Opto autem firmis complecti mutua ſeſe
Littora nostra bonis: quantumq; hic Cimbricus amplo
Se ſinus extendit diuerſa ſub oppida cyclo:
Totus amicitijs iaciat fundamina. quòd nec
Vrbibus expediat nec Regnis, Marte quietem
Soluier: aut tumidis quaſſarier ocia bellis.
Quid Dantiſcanæ studium memoraro iuuentæ,
Quidúe viros ſanè egregios, celebremqúe Senatum
Præstantésq; animos? maris hij quoq; plurima lustrant
Iam loca, nec tenui gens hæc colit æquora fructu.
Hæc vrbs à Danis orta est maioribus: hiſce
Penè quidem ſeclis, primùm quibus intulit orbi
Huic ſeſe nostræ reparatio publica vitæ:
Virgineumqúe ſacro mundat ſpiramine ventrem.
Circiter ista quidem Dantiſcum prima locauit
Fundamenta: quibus paulatim excreuit in haſce
Quas nunc pandit opes congeſtáq; tecta tuetur.
Perplexos quanquam fortuna aſperrima ſæpè
Obiecitúe gradus, curſumúe retardat eunti:
Et varios inter dat ſurgere culmina motus.
Sed ſortem vincet, qui fortiter instat, & æqua
Luctatur ratione. aderit, qua magna minores

Luce ferant: aliquáq; ſinant communibus vti
Conditione bonis. nec ſemper preſſerit is, qui
Nunc etiam afflictos poterit preßiſſe videri.
Vel virtus rumpet: vel cœlum vicerit. omni
Peccatur mundo. nec qui nunc regna viroſq;
Obtenebrant mores, poterint conſiſtere: ſi quid
Conſiſtat tamen, & ſibi non ſua funera gignat.
Valde opportuno Dantiſci mœnia ſeſe
Explicuere loco. ſit fas durare colentes
Recta viros. nihil eſt Regi vel dignius vſu,
Vel maius titulo: quàm dites ciuibus vrbes
Imperio regere, & claram frenare iuuentam.
Sed Libertatis ratio eſt, quæ mœnia condit,
Atq; alacres reddit facienda ad lucra colonos.
Cum nihil à ſeruis diſtat res Ciuica, frontem
Blanditiæ produnt, ſed mens incluſa, dolori
Militat, ac gladijs reſecanda hæc triſtia ſuadet:
Sit ſaltem, vires quæ ſola occaſio pandat.
An'ne etiam Hamburgum fas ſit mihi dicere? ſanè
Vrbs ea non minimis excellit mercibus: alta
Quòd ſuperet fluctus & amans ſecet æquora puppi.
Propenſo ſedenim fabrilia nautica motu
Excolit. ac quoniam locus opportuna miniſtrat
Littora, vicinis & ſe dent obuia regnis:
Multa importari, multa exportarier inde
Accidit, ac longos ferri in commercia fines.
Illa etiam procul Iſlandas vrbs æmula terras

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Viſit, & Oceani perrumpens iurgia, latè
Puppibus excurrit: Scagasq́; euecta per vndas
Interiora ſinus Cotthani viſcera tentat.
Interdum Danos, interdum Suetica luſtrat
Littora: & è varijs dilatat mercibus vrbem,
Quas iſtisq́; iſtisq́; petit gens ſedula regnis.
Dantiſco ſed enim plerunq́; aſpirat. ab Albi
Integra prouentus ratio eſt: quòd is alueus acri
Subnixus fluuio Boihemica regna relinquat,
Miſnenſesq́; fatiget agros: atq́; inde citato
Gurgite Saxonicas labendo excurrat in vrbes,
Multiplici inflectens redeuntia brachia gyro:
Hamburgi donec lepidiſsima tecta videndo
Præterit, ac rapido ſe mergit in æquora lapſu.
Non tamen hic nullo fluuius dilabitur vſu
Fontibus à primis, patrysq́; è ſaltibus: omni
Exundat rerum lucro. pulcherrima ſecum
Ligna vehit: ſeu quæ validos naualia malos,
Seu fortaſſe domus æquiſsima tigna requirant.
Multa means circum perlabitur oppida, ripis
Nunc hîc, nunc iſtic deradens mœnia: quo ſe
Valde opportunum vectandis mercibus offert
Centibus obſequio: Hamburgum quas actus in vrbem
Deferat, ac vario iungat commercia flexu.
Inde iter in Batauos facile eſt & cætera ponti
Maxima regna: quibus nunc vrbs Hamburgica multis
Commodat officijs, & rem conatibus auget.

Quin

Quin verò ex Anglis poſtquam huc tranſlata feracis
Emporij ratio eſt, ingentia lucra ſuaſq́;
Stipat opes: ratibus cum primas deferat, & ſe
Mercatu ſatagat peregrinis iungere regnis.
Quid quòd & armorum penitus non ſiſtat ab vſu:
Si quid fortè neceſſe ſiet, vel ciuibus enſes
Stringier, ac ſubitis defendi mœnia bellis.
Vel ponto res dura geri, res ſancta Carinis
Debeat, ac toto prædator ab æquore pelli.
Vtroq; vrbs pridem fœlix conamine latè
Fortibus innotuit factis. teſtantur in ipſum
Stortebeckerium confecta negocia: cui cum
Prædari libuit, libuit tum ciuibus iſti
Vincula piratæ contraria tendere. nec res
Aduerſo ſuperum tentata eſt numine. vicit
Conflictu Hamburgum, prædatoriq́ue cathenas
Inijcit, ac victo caput à ceruice iubebat
Tollier. Vtq́; etiam non deſint cætera laudi
Ingenuæ, doctos pretio dignatur, eoſq́ue
Et colit, & magnis conueſtit honoribus. illa eſt
Cui pridem celeber cumulabat Krantzius vrbi
Nomina clara. quòd Hiſtorijs & regna viroſq́;
In Boream verſos, & Vandala littora multo
Complexus ſplendore ſiet: cui Phœbus Apollo
Ingenium præſtans, quod prendere maxima poſſet,
Sic dedit, vt facili comprenſa extollere ſcripto
Sufficiat. pòſt, hanc deuenit Epinus in vrbem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et docuit: vir multiplici ſic cultus ab arte,
Vt decus officio, officiumque æquarit honori.
Huic informandæ ſociumque alacrémq; iuuentæ
Præſtabat ſeſe: qui ſacro Delius æuo
Ac operum meritis, primas tum penè gerebat
Inter honoratos cultiſsima lumina patres.
Quem tria luſtra ſuis geminata laboribus vnum
Sic iunxere: nihil Schola maius vt iſta Magiſtro
Hoc habuiſſe queat: qui ſacras moribus artes
Intulit, ac pretium monſtratis artibus auxit.
Etſi autem fatis iam pridem is ceſſerit: vrbs hæc
Attamen egregie multos habet omnibus amplos
Doctrinæ ſtudijs: qui quæ didicere, tueri
Et proferre queunt. gens eſt ciuilis, habétq;
Humanos propter moréſq; & pectora laudem.
Nam quæ foro tute deduxeris, omnia proſtant
Non ita difficili, ceu multa per oppida, nummo.
Quanquã hac parte tamen Lubecum vicerit: atq; hoc
Roſtochium: at cunctas Stetinum: Dania cuius
Exſuperat laudem: minimo qua viuitur. aſt quid
Hæc ego nunc tenui conſector magna labore?
E cælo populis benedictio creuerit. ipſis
Adſcribas ſuperis quæ ſunt ampliſsima. Virtus
Res eſt grata: ſed hæc cælo ſine vindice nuſquam
Magna erit, at cælo ſemper ſub vindice magna eſt:
Atq; alit in quoſuis tutiſsima pharmaca caſus.
Sunt aliæ noſtris vicinæ gentibus vrbes

Multæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Multæ etiam: ſimili quæ commoda laude ſequuntur,
Et varijs adeunt terraſq́; ac regna Carinis.
Sanè equidem mundos commercia plurima Belgæ
Exercent: latéq́; rates & lintea certant
Proferre: & medios inter ſcopulóſq́; ſinuſq́;
Saxáq́; veliuolas ſatagunt deducere puppes:
Ut ſibi lucra parent, nitidiſq́; penatibus addant.
Gens eſt mundiciem ſpectans: virtutis & alti
Officij cuſtos: non aſpera moribus: artes
Quæ colit, ac patrijs olim fortiſſima bellis,
Auſonijs etiam non ceſſit ſponte Tyrannis.
Ergo Brabantinos ciues, Flandroſq́; benignos,
Et Batauos ſtudijs cultos quis neſciat? vna
Omnibus eſt, validas quæ prima induſtria puppes
Explicat in pelagus, latéq́; excurrere ventis
Mandat, & optatas deducere in æquora merces.
Nec minor eſt, cui ſe Dauentria pulcra labori
Campenſiſq́; adeò Reſpublica conſecrat. ipſum
Urbs Suollenſis agit: priſciſq́; obnoxia rixis
Brema, vel Emdenos quæ gens colit æmula muros.
Omnibus his ſtudium eſt pontum luſtrare, citaſq́;
Commoda in ampla rates, firmaſq́; aptare Carinas.
Idq́; etiam vtiliter faciunt. Dij iuſta ſecundent
Nauibus, vt magno ſoluant ſibi lintea fructu.
Tum quis lucra etiam populorum multa ſacraſq́;
Ignorarit opes: quas gens habet omnis, & omni
Communes alijs ſtudioq́; & acumine reddit?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Hæc pars multiplici ſeſe explicat ordine. nec iam
Procliue eſt tenui comprendere ſingula verſu
Quæ memoranda forent. alia nos iſta ſequemur
Muſa etiam, aut alijs poſt me dicenda relinquam.
Interea breuibus terrarum littora ſpectes,
Et quæ quodque ferat noſtra in compendia, cerne.
Nec dubito, vitæ ſolum ſi forſitan vſum
Intueare: ſuæ quin natio plurima vitæ
Sit ſatis: ac hominem quæ terra eduxit, eidem
Pabula ſufficiat, ſic conuenientia: vt iſtis
Suauius, externo quàm vitam è munere ducat.
Aſt cum vita quidem, niſi commoditate fruatur
Sanè aliqua, ac lætis aſſueuerit æmula rebus:
Haud ita Bruto etiam multum fortaſsis ab vſu
Differat. (hæc etenim patria tellure ferente
Pabula ſectatur: nutritáq; corpora ſolo
Gramine confercit, limphisq; rigentibus implet:)
Iccirco natura dedit coniungier vrbes
Urbibus, ac populis populos Deus intulit: vt iam
Non ſolum ſit vita, ſed hæc ſit dulcior: & ſit
Humanis etiam cultiſsima moribus: artes
Officiumq; colat, communia lucra ſequatur:
Et ſub amicitiæ fines, pia pectora ſtringat.
Hæc demas: iam nil vitam eſt vixiſſe: reuulſas
Aſpicies partes, quas pridem in fœdera, rerum
Iunxerat ac certis firmarat legibus vſus.
Propterea humani ne quicquam moris & æqui

Defueris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Defuerit ſtudij: iuſsit Deus alta Carinis
Littora perquiri: quò ſeſe hominesq́; ratésq;
Mercibus intulerint: vbi dando atq; accipiendo
Communes reddant ſtudijsq́; ac gentibus vrbes.
Poſt vbi ſuccreuit vel habendi plura voluntas,
Vel lucri ratio mentem impulit, omnia latè
Scrutari, & quoſuis immittere mercibus vncos:
Continuata quidem eſt ratibus via: pontus eunti
Præbet iter, variósq; aperit luſtratio portus.
Sic ignota quidem nulla eſt iam terra. ſub ortum
Subq́; Auſtrum, & ſeptem ſubiecta trionibus arua
Heſperiasq́; plagas & littora cuncta carinis
Itur, & haud dubio ſequimur vaga lucra periclo.
Prima autem merces ratio diſtraxit, auito
Cum pro more quidem res permutando, bilances
Aequatas tulimus: cum Tauro fortè bidentes
Redduntur, Lepori mutatur Calceus, Vrſos
Anſeribus penſas: ædes armenta ſequuntur
Et porcis gladios, & pannos piſcibus æquas.
Quid Vini gratum referam dulcemq́; liquorem?
Quæ genus aut aliud vini, aut frumenta rependunt,
Aut ſalis allati pretio par copia tollit?
Multa erat illa quidem priſcis, tranſlatio. Ceu res
Durat adhuc Lappos inter Biarmósq́;, leuésq;
Scricfinnos, qui non alia mercantur ab arte:
Quàm quo maiores mutandis mercibus vſu
Innotuere. locum ſtatuunt congreſsibus: iſtuc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vel Dani accedunt, vel proxima Suecia, vel qui
Teuthonicis habitant vicina ad littora regnis.
Ut venere, leues ponunt ex ordine merces,
Exiguiq; adeò pretij: ceu fila, rigensúe
Ferrum: quo ſilicis colliſa fronte micantes
Eliciunt flammas ignemqúe in fomite prendunt.
His & acus linumqúe addunt, telamqúe trilicem,
Et ſpecula, & vittas, cretamqúe aut lanea groſsis
Intertexta modis, vel aromata prima, ſalemúe
Aut vili tantum coëuntia gauſapa villo.
His poſitis, æqua mutando lance receptant
Quas cupiunt merces, quas expetit aduena pelles
Ingenti inſcriptas pretio: Martésq; Sabellósq;
Atq; Lupos, Vulpésq; crucem plauſumqúe ferentes:
Rangiferos, Alcésq; citas, niueos Melanuros
Exuuiasqúe Urſi, & maculoſæ tergora Lyncis.
Hæc ſunt ex illis commercia gentibus. vtq;
Mirere, haud etiam præſentes talia Lappi
Mutando expediunt. procul exceſſere, latentqúe
Quisque ſuis plerunq; locis. merx obuia cunctis
Et patet, & noſtris capiendi eſt æqua facultas,
Dum iuſta reddant, quæ reddunt omnia, lance.
Ut ratio expleta eſt mutandi expoſta, reuerti
Ad ſua contendunt noſtriq; illiq;. Sed illis
Non etiam ſimplex ſtudium eſt: neq; protinus eſſe
Hæc ſibi grata ſinunt, quæ ſunt ita reddita. nam cum
Quisque redit, propriásq; æquo ſub lumine merces.

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et prius expoſitas, & nunc pro more receptas
Exigit, ac parili libramine comparat: iſtic
Sanè equidem inſurgit ſolers contentio. nam ſi
Aequatas prorſus mutando exiſtere ſortes
Et geſtum nil fraude vident, lætantur: & ipſo
Ex vſu capiunt animumq; & gaudia Lappi.
At ſibi ſi impoſitum fallaciter eſſe: queruntur
Condemnántq; dolos, atq; interuerſa bonorum
Plurima lucra gemunt. incenſa furoribus audax
Turba igitur pœnas ſcelerato à ſanguine poſcit:
Inſequiturqúe viros animo, longiſsima quamuis
Iam loca prendentes, veteríq; ex arte trucidant.
Haud iuuat ad centum miliaria abeſſe: latent quòd
Hos loca nulla feros. non quem defendere muri,
Non fortuna poteſt. ſeries hanc priſca parentum
In natos artem ſtudioſo detulit auſu,
Continuátq; gradus. nihil eſt conarier hocce
Euitare mali. fugias licet, & licet omnes
Exſuperes terras, montésq; & culmina ſcandas,
Latáq; multiplici obiectes licet æquora paſſu:
Te tamen apprendit ſecurum Lappus, & arte
Conficit, ac certæ mittit tibi ſpicula morti.
Sic nihil eſt egiſſe dolis, quibus iſta proinde
Eſt hominum lex nota, aliquid mutantibus addunt
Supra etiam ſortem: ne quid fortaſſe videri
Eſſe datum minus, & non iuſta lance repenſum
Poſsiet. his equidem vel permutatio, vel res

Eſt lucro: nec enim miſeris fiducia Lappis
Eſt penſanda dolo: ſanè ipſis rebus adhæret
Fraudati labes pretij: quòd plurima damno
Noxa pianda ſiet: cum merx contermina culpæ
Diffluat, ac lucro malefactum penſet inani.
Hic igitur vetus & priſco mos cognitus orbi
Conſuetusq; fuit, rerum commercia latè
Perficier mutando. at poſtquam Nummus in vſum
Venit: inæquales vt certa pecunia partes
Aequet, & in iuſtum deducat pondera pondus:
Quæ prius eſt pecudum numero perfecta, ſequenti
Arbitrióq; vſúq; hominum, legúmq; vigore
Tranſiit in nummos rerum exæquatio. morem
Auxit commoditas: vt nunc mutatio penè
Ceſſet, & expoſitas contraxerit Emptio merces.
Iſta prior mundo facies gratiſsima noſtris
Exſpirat ſeclis. ſtudio quæſiſſe metalla
Nitimur, ac rutulo melius nunc omen in auro eſt.
Lydi autem Nummum primi excudere. deinde
Gentibus eſt alijs celeres ita ducta ſub vſus
Hæc ratio: vt cunctis iam dira pecunia regnis
Imperet, ac totas in fœdera miſerit vrbes.
Nunc igitur medio ſeſe commercia Nummo
Latè amplectuntur: quantumqúe Europa per omnes
Littora circuitus pontoqúe obnoxia voluit:
Tantum equidem lætas æquata pecunia merces
Tranſfert ac pleno dat ius ſub iure fruendi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Multa autem rerum varÿs eſt copia regnis
Quas alÿq; alÿq; petunt. Vinumque ſalemque
Hiſpani mittunt. eadem dat Gallia. Panno
Anglia luxuriat: Carbones Scotia gignit:
Suecia dat ferrum: Piſces Nortuegia: ſolers
Multiplici artificum ſtudio Cermania vincit.
Vna eſt quæ cunctis excellit Dania rebus:
Quæque adeò cunctis impertit gentibus, vnde
Commodius vitæ traduci munera poſſunt.
Nam diues ſegeti prouentus in omnia ſeſe
Diffundit loca: fœlices habet vna Colonos:
Qui quantum aßiduis ſibi lucra laboribus augent,
Tantum poßideant. non hos iniuria, non vis
Læſerit vlla: ſuis domini ſunt rebus, easque
Pro lubito aſſeruant, aut in commercia ducunt.
Millia multa bouûm nutrit: quos læta quotannis
In populos cite Rhene tuos & proxima mittit
Oppida: quà Batauis tendunt tibi cornua regnis
Et totos ſubigit fœlix penuria Belgas.
Quin & equos, quorum pretium eſt & maxima virtus,
Suppeditat latè populis. haleca per omnes
Diſtribuit terras, & Aſellis vna redundat
Præcipuis, Scombróſq; agiles, Luciosque voraces
Condit, & optatas emittit ad extera merces.
Soli autem Baccho tellus non paret. at illum
Ex alÿs vectum regionibus accipit; vt quem
Multiplici populorum opera, & ſudore paratum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Perque tot æquoreos & longa pericula fluctus
Perductum, pretio mediocri acquirit: eam ſeu
Creta dat, Auſonijs ſeu venerit vua falernis:
Aut vehat ad noſtras exculta Colonia gentes.
Cum nobis ſatis eſt: reliquum vicinia latè
Accipit, ac diti cumulantur mœnia villo.
Aut quid ego Italiæ cultiſsima regna, quid vrbes
Quidúe hominum præclara canam, quæ munera toti
Iam pridem mundo latè innotuere? vetuſtas
Huc Orientis opes, Mileſia vellera fatum
Intulit, ac Tirijs intincta coloribus ornat.
Serica non Seres tantum iam pectere. Genua
Lucáq;, & eximijs ſuperans Florentia muris.
Tum ſolers Venetum populus, tum proxima primis
Parthenope: ipſum agit ac multo ſe ſuſcitat vſu
Multiplicátq; manus & honeſtas explicat artes.
Ut nihil iſta hominum commercia longa, proculqúe
Amotas terras & diſsita littora narrem:
Quæ Venetum plerunq; rates ſic deniq; curſu
Multiplici ſubeunt: vt quæ ditiſsima, quæqúe
Optima, & humanis ſint vſibus æqua Carinis
Conuehere, & toti ſatagant partirier orbi.
Huc igitur Gemmas & aromata grata, liquores
Congeſsit fortuna ſacros, quoſcunque ſub ortum
Græcia ſparſa colit, blandíſq; extrudit arenis.
Deniq; Phœnices, Aegyptum atq; Africa rura
Puppe legunt. ſed & Armenos, Solymamq; iuuentam

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Et Babyloniacos, & Perſica regna, colonos
Hoſpitio excipiunt: vt ſint commercia, cunctis
Quo proſint ſtudio populis: quo deniq; vinclo
Europæ gentes & mutua pectora iungant.
Hæc nunc bellorum turbari munera fuſis
Conquerimur lacrymis: ſed ſpem Deus auget, honeſto
Bellorum euentu finiri hæc triſtia poſſe,
Et pacem reparari animis & fœdera condi:
Quò ſua ſint Venetæ commercia libera genti.
Sed non iſta quidem narrando perſequar. omnis
Maxima mundus habet quæ proſunt omnibus: hæc ſi
Munera ſolerti poteris ratione, vijsq́;
Conſilijsq́; ſequi: quæ rerum in lucra ſagaci
Colliment ſtudio: populis & egentibus æquent,
Quas non fortè leui transfers diſcrimine merces.
Quod contra fieri videas, plerunque moleſto
Exſpirat damno: cum vel tibi tempora, vel res,
Vel locus obſiſtat. ſtupidi eſt incerta ſequendo
Prendere velle. alijs alia arriſere: quod hiſce
Conuenit, eſt alijs ingratum gentibus. æſtas
Has commendat opes, Ver has ſibi poſcit: at iſtas
Quærit hyems, duplicíq; ferens impendia nummo
Penſat, & è grata veniunt congeſta bilance.
Hinc frumenta vehas: hinc aurum. at plurimus iſtinc
Defertur Bacchus. ratio eſt ineunda volenti
Ex vſu mercarier: vt quæ tuta ſequatur
Nouerit, ac iuſtis aduertat pectora rebus.

Hæc mihi propterea fuerant dicenda: quòd iſtas
Unà etiam plerumq; rates, quæ carbaſa bellis
Tendunt, ac liquido Martem ſuper æquora verſant:
Reddita cum populis pax eſt animiq́; quierunt,
Exemptas tanquam vinclis ad munera pacis
Uertier, ac grato vectandis mercibus vſu
Transferri videas. quid enim? quæ tela viroſq́;
Inſtructos armis, hoſtilia pila ferebat,
Et prius horribiles vtero circumtulit ignes:
Iam poſita feritate ſalo pacata vagatur,
Et pacis tranſportat onus, Triticumúe Legumenúe,
Aut pingui certè confectum lacte butyrum.
Atq; alias quaſcunq; etiam dant littora merces
Ulteriora: quibus ſub mutua fœdera mundus
Et ſub amicitiæ conſpirat vincula. nec iam
Gratior Oceano res labitur vlla: ſecundo
Quàm quæ puppis eat ventoq́; ac flamine, pacis
Nuncia: quæ populos inter commercia, latè
Proferat, ac nullis turbauerit æquora bellis.
Quin bellorum etiam ratioq́; & finis haberi
Debeat is: pacem ſuboriri poſſe, ſimulq́;
Humanas inter conſiſtere fœdera gentes.
Sed ceſſo. pacem diſcluſo Marte reducant
Numina, & Aoniis ſint præmia ſacra poëtis.
Unum eſt, quo tete caueas ſtratagemate vinci:
Quo cum multi etiam ſunt victi, multa profectò
Supplicia, & varios ſenſere in præmia luctus.

Quan-

Quanquam autem vetus eſt, & noſtro plurima ſeclo
Congeries: Dolus an Virtus, quis in hoste requiret?
Sic tamen ingenio victor perſuaſeris: vt non
Te viciſſe etiam, ni vincas laude, putaris.
Nam viciſſe', Deo teſte eſt viciſſe probante.
Quo ſi quid vincas non diſponente: profectò
Non viciſſe quidem, verum amiſiſſe ferare.
Prima igitur tibi cura ſiet, ſi vincere certes,
Vt virtute quidem vincas. non ſuaſerit illud
Fortè etiam vtilitas: at Gloria ſuaſerit. vnam
Quam ſi conando ſceleratè amiſeris: illud
Quod reliquũ eſt nulla redimas nuce. Quare age, ſi quid
Forſitan hoſtis agat, quo tu capiare: caueto
Ne capiare. animo vigilandum duxeris: vt quas
Struxerit inſidias: multò certè ante putabis
Poſſe ſtrui. quæ ſi ratio eſt tibi cognita, penè
Viceris, & fraudes laudanda fraude repellas.
Nam fraudem ſtruxiſſe licet: ſi fraudibus hoſtem
Nitier, ac turpi fama eſt contendere bello.
Hoc verò eſt quod agunt, cum iam certamina: vel ſi
Non etiam fuerint certamina proxima, ſed ſi
Vtilitas fortaſſe aliqua id ſuaſiſſe videri
Poſſit: vt expediat ſtratagemate ludere: mutant
Signa rati: falſiſq́; ornant Cataſtromata bullis,
Aut armis ſeſe, quæ ſunt aduerſa, colorant.
Nam via nequitijs triplici hæc ſe promouet auſu:
Seu cum ſigna quidem variant: ſiue arma leueſq́;

Mutantur clypei: ſeu Symbola vera ſuæq;
Genti etiam propria hoſtiles æquantur in ignes:
Et numero tormenta quidem quo aduerſa fragorem
Incutiunt, parili ſonitu pugnaris: eoq;
In tua tranſtuleris deceptas retia puppes.
Quæ res nocturno plerunque eſt apta labori
Inſidijsq;. Igitur prudens conſiſte, tuisq;
Ne quod rebus iter poterit nocuiſſe, videto.
Vtq; nihil temerè admittas: ne tute Camelos
Moueris, exquirat niſi rem tibi Cimba, ferátq;
Cui conſtent populo, cui conſtent Symbola genti.
Aſt explorata tibi re quod forſan agendum
Duxeris, id tali peragendum limite ducas:
Vt temerè admittas rerum nihil. hoſtibus inſtes
Si potes, & ratio tibi ſuaſerit æqua. quod ipſum
Si fortaſſe etiam nequeas, abſiſte: velisq;
Quod te poſſe putes. Nocturnos deniq; vites
Conflictus. luci debentur prælia: quæ ſi
È primo ſurgat ponto tibi læta: Tonantem
Indue pectoribus. pòſt quæ tu hoſtilia ſpectas
Agmina: ni numero ſic vincant deniq;, vt vno
Non etiam numero, ſed rerum pondere vincent:
Haud metuas tentare. aliquid tentaſſe decori
Et virtutis habet. conanti Iuppiter omnes
Sæpè etiam valuas magno patefecit honori:
Et quam non ſperas tribuit victoria laudem.
Nec quòd te numero ſuperauerit hoſtis, agendum

Propterea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Propterea haud ſtatuas.numeris non vincitur . eſt res
Et fortuna, Deo quæ vincit iudice. Site
Cauſa animat, plures ne quid metuiſſe phalanges
Aut horrere velis: tamen hîc fortaſſe neceſſe
Si pugnare ſiet. ſaltem id vitaueris, vt non
Incingi tete cautis patiare Carinis.
Id caueas: ſi quid fortaſſe aſpexeris, an non
Paucæ aliquot primùm. pòſt plures deniq; tanquam
Si feſſæ excedant: fugere aut iam velle videri
Incipiant. tibi protinus hæc ſuſpecta putetur
Vulſio. Tu limis igitur quid deniq; agatur
Proſpice. ſi nullo fugiant velut ordine tete
Impellente, ratésq; alióq; alióq; minentur,
Et nihil è certa quod prendas lege, ſequantur:
Contemnas, quantumq; potes tua commoda inurges:
Submiſsis aliquot, ſimulent qui prælia, limbis.
Non etenim tali conſiſtent turbine. Quod ſi
Fortè fugam meditantur: at hac ratione, Carinas
Vt circumducent, & cornua denſa meando
Conſeruent, lentéq; iter & ſua lintea tendant:
Ne capiare, caue. prorſus tibi funera puppis
Hæc ſtruit: ac aliquo certat ſtratagemate. ſed ſit
Hæc tibi cura bono & rerum ſatagenti: vt honeſto
Et vigili exiſtas commiſſa in munera ſenſu.
Haud tibi cuncta quidem ceu Muſis poſſe referri
Depingiq; putes. ratio eſt tibi ſæpè petenda
E rebus: quantúmq; potes tibi ſidera firmis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nexibus, & firmo ſuperum tibi iunge Tonantem.
Id ſerues vnum: ne quod tibi forſitan alter
Conſilio apperiat, contemnas protinus. audi
Sanè alios etiam: & quæ ſunt propoſta, benigno
Excipias animo: quanquam diuerſa ſequare
Forſitan, & proprio conſtet ſententia motu.
Sæpè quidem hæc rerum collatio profuit. vſu
Conſilium expendas, vſum moderatio firmet.
Poſtremò exiſtat tibi maxima cura, ſinu'ne
Ac ſcopulos inter tibi res fortaſſe geratur:
An lato ſit agenda mari: quà cuncta ſub omnem
Conſpectum proſtant, & aperto è littore tete
Aut ſocij, aut hoſtes meditantem prælia cernunt.
Nam criptis ſinubusq; etiam ceu faucibus eſſe
Penè aliquid fraudis coniunctum duxeris. aſt quæ
In patulo fiunt, poterint fortaſſe periclo
Penè vacare illo, cui ſe dolus inſerit. eſſe
Solertem deceat, cui ſe fortuna ſupremo
Inclinet moderata Duci: qui bella miniſtret
Fœlix, ac veris hæc vſibus arma ſequatur.
Deniq; quem talem finxit natura: ſagaci
Ut non ingenio comprendere poßiet hoſtis
Conſilia, & quantas is verſat acumine fraudes:
Hunc tibi nequicquam, niſi res fortaßis habendum
Altera decernat, claßi delegeris: vni
Induperatori cui pareat omnis, & inter
Præcipuos primus proceres ſpectetur. honeſtum

Id vitæ

Id vitæ officium eſt: ſed cui non omnis & omnis
Protinus aptus erit. Genus hîc Sapientia vincat,
Si tamen hanc fœlix etiam experientia, & audax
In bellum manus, & popularis Gratia firmet.
Sanè equidem coniecturis præſtarit, & vſu
Sic valeat rerum: planè hunc vt miles ineptè
Nil tentaturum ſtatuat, quem forſitan iſto
Complexus ſtudio eſt, & fidus amauerit: & ſe
Huic nihil auerſo committet in ardua ſenſu.
Quà ſeſe intulerit magnis Dux iſte periclis,
Tentaritq́ vias quibus hoſtibus inſtet: in illas
Unà etiam miles ſeſe intromiſerit, vt qui
Præfecti ſtudijs, cura & virtute putarit
Incolumen ſeſe rediturum denique. tantum
Præſidij Dux vnus habet: quocunque feratur
Fortuna, & dubios inter ſe miſceat enſes.
  Quin diſciplinæ ratio ſiet aſpera: ni quid
Interdum vitæ meritum fortaßis honeſtè
Suaſerit, aut tolli pœnas, aut mollius iſtas
Inferri: ſi quem vel fortè occaſio, vel re
Ira etiam maior poterit mouiſſe videri:
Ut legum metas, & iuſta repagula rumpat.
Procliue eſt magno in numero delinquere: cum vel
Exemplo noceas, vel te violentia tollat
Tranſuerſum, aut ſubitis ferueſcant pectora flammis:
Quæ tete abſtulerint, mentemq́ in crimina voluant.
Hanc igitur partem ſapienter prendere certes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Ut quantum magnis liceat ſine motibus, iſti
Vel ſanè intendas, vel laxes pondera neruo.
Tandem etiam mores Nautarum, & plurima gentis
Iſtius acta: quibus diuini muneris vſum
Perficiunt, triſtes inter dum læta procellas
Spondent, & gratam ratibus dant eſſe ſalutem,
Adijciam. Dij quid varij diſcriminis hîc ſe,
Et quid Iudicij: ſi cui fortaſſe liberet
Omnia ſub viuis hæc ferre coloribus: orbi
Intulerit? tanta eſt animis fiducia: tantum
Moribus eſt diſcrimen, & ipſis vſibus vnà
Mixta lues. adeò hoc hominum ſeſe ordine duris
Utilitas vitijs, & damno commoda iungunt.
Nec tamen omnibus eſt eadem ſententia Nautis
In vitia. egregijs non pauci moribus iſto
In numero veram capiunt è munere laudem:
Atq; bonos inter gratiſsima nomina ſeruant.
Et certè adniti deceat, quacunque ferare
Conditione: quibus tu deniq; cumq; tabellis
Inſcribas titulos, rebusq; inſiſtere certes:
Ut quæ iuſta bonos comitatur opinio, de te
Poſsit haberi etiam: quantúmq; ex vſibus æuum
Cenſendum ducis, tantum ſis gratus ab vſu,
Quem virtus probet ac cenſura æquiſsima laudet.
Nec magis id vitio Nautis datur, eſſe malignos
Quàm magnis etiam dandum eſt id Regibus: æqua
Gentibus hæc pendet cunctis cenſura bilance.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Quanquam culpandum ſtudio maiore putabis:
Si ſua deſtituat ſummos moderatio: quos vel
Diſciplina bonos: faciles vel plurima virtus
Reddere: vel duros exempla inflectere poſſent,
Ut veris patrio studijs æquentur honori.
At miſeris ſors est Nautis minor. Utq; nihil ſit
Penè aliud: ſanè ad vitium res vna ſubinde
Valde etiam impulerit, quæ Conuerſatio prauis
A' primis est iuncta annis: quòd rarius istud
Diſpenſet fortuna, bonis vt iungier ipſe
Poſsis: & vitam meliorum è iuſsibus ornes.
Haud igitur mirum est, ſi Nautis multa ſubinde,
Non imitanda ſient. minimum est lita corpora turpi
Ferre pice, & tumidas propter ſordeſcere puppes.
Res ea nec culpa, nec digna est laudibus. Unum
Reprendi meritò deceat: plerunque ſalutis
Oblitos vacuam pietatis fœdere mentem
Exerere, & nullis diuorum iuſsibus angi.
Quin verò & vitæ lucem, mortíſq; tenebras
Aequali ſemper menſurant lance. vagantur
Hos inter fluctus: moréſq; ex æquore traxint,
Et quocunque iubent deuolui fata, ſequuntur.
Aſpera gens, nullo cum ſe rectore teneri
Ordinibusq; videt. tanta est iniuria, tantæ
Dirarum furiæ: tot iuramenta, tot altæ
In pugnas & bella faces: tot iurgia, tanti
Concurſus. turba est immania pleraque ſpirans,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nilq́ue perhorreſcens. veſci, potare: ſuiſq́ue
Indulgere malis petulans: cui lingua ferúmq;
Pectus idem ſapiunt. quid enim? coniugia, ſponſas
Ac ſobolem: aut ſi quid dederat ſors vlla relinquunt,
Perrumpúntq; fidem, ſatagúntq; excedere pacto.
Dormire, ac vigilare pares in lumina motus
Hijs inferre ſolent. nihil eſt rationis in illis:
Nec clamoris egent. truculentos effera vultus
Gens mouet, ac lacera deturpat veſte pudorem.
Quin plerunque nouis etiam rumoribus vrbes
Et populos terrere ſolet, dat ſurgere famam
Fluctibus, ac tenues in maxima ſuſcitat ignes:
Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia veri.
Et tamen hæc eadem, tot paſſa opprobria: tantum
Atq; experta mali: diuíſq; viríſq; ſubinde
Gens exoſa, boni cauſa eſt, & prima ſecundis
Anchora rebus. ineſt aliquid quod laude vehendum
Dixeris, & clara dignum mercede probaris.
His ſine Nauarchus quid enim perfecerit? vt ſe
Cum vitio Virtus miſcet? velut edita partu
Vna & ſtirpe forent, ſtudijs ita mutua iungunt
Pectora, & alternas adigunt ſub vincula ſortes.
Scorpius immani perimit nonnulla veneno,
Proſternítq; boues ſimul, & mortalibus infert
Exitium. ſedenim claros ea beſtia fructus
Ex alia ceu parte vehit: quæq́ue inficit ictu
Accelerátq; luem, ſucco iuuat. iſta malorum

Tempe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Temperies certo naturæ conſtat ab vſu
Fœderibusq́ue coit. Nautas plerunque proteruos
Effreneſq́ue, aliud commendat laudis aſylum
Vtilitáſq; ſuis iam cognita fructibus ornat.
Hæc eſt nauigij pars optima: quæq; Carinas,
Quæq́ue viros, rerúmq; ſtrues, & celſæ reducit
Carbaſa: & optatos dat tranſtra reuiſere portus.
Cum tempeſtatum deſæuit in æquore feruor:
Præſidium à nautis petimus. ſpes illa timentes
Suſtentat, læti quam dant in pectora nautæ:
Quáq; etiam firmant animos, & fidere mandant.
His equidem melius nihil eſt: ſeu mercibus æquor
Mutandis ſulces: ſeu bella ingrata ſequare,
Impellaſq́ue ratem fluctusq́ue refringere certes.
Illa quidem in quaſuis puppímq; ac linteæ partes
Flectere turba poteſt. ſi ſint obliqua procellis
Obuertenda, leui momento obliqua ſuburgent,
Deterguntq́ue ſinus: ventóſq; remittere norunt.
At ſi recta ſuis Carcheſia flatibus auges,
Protinus in rectos ſubtendunt cornua motus
Antennaſq́ue lijs ſua per veſtigia firmant.
Quod ſi forte loci vel certa anguſtia: vel ſi
Tempeſtas cogit rapidis concedere ventis,
Et ferri quo duræ vocent te flamina: nunquid
Nautarum manibus non ſtringis carbaſa? funes
Velorum tendis, certaſq́ue immittis in anſas?
Deniq; ſubducunt, attollunt. viribus inſtant,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Nec ſtudijs parcunt, quoties fortuna periclo
Ludit, & ingentes pelago dat creſcere flammas,
Accenditq; minis, pontumq; furoribus armat.
Id moneo, ac ſi quid poßit mea Muſa, monebit
Semper, & has cumulet ventura in ſecula voces:
Ne bellum, belliúe vſus, aut arma ſequare,
Si liceat tibi pace frui: ſi iniuria tete
Non ita magna premat, meritosq; accendat in enſes.
Multa equidem toleranda viris ſapientibus eſſe,
Atq; animo verſanda putes. Patientia fructus
Tum capit: immani cum ſe pars effera damno
Affectum queritur, belliq; incommoda narrat.
Bis ſapit, inijcio quiſquis ſapit. Exue mentem,
Quæ nihil aduerſi metuat. ſors errat, & omnes
Temperat articulos, rerumq; volumina fingit.
Ut tamen haud facili tete patiaris in arma
Pectore propelli: res eſt ea ſæpè diuq;
Expendenda prius, quàm te huc tuus ardor & ingens
Impetus extrudat, pugnasqúe accerſere mandet.
Sic ſi te violet crudelior hoſtis, & omni
Fœdera conſilio, ſacrataúe iura reſoluat:
Conditioqúe ſiet pacis ſublata: faceſſat
Segnities, damnesqúe moram: nec lumina cœno
Perfundas. ſed enim quodcunque vel arte, vel vſu
Eximioúe potes rerum ſtratagemate, bello
Intuleris: quantumq; potes conatibus inſta:
Conſiliumqúe hoſti impedias, & pectora turbes.

Turbato

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Turbato ſpacij ne quid conceſſeris, vt ſe
Colligat. in nullo tibi ſit mens fracta periclo:
Sed votis animoq; pari da creſcere famam
Militibus. curas læto diſpellere vultu
Et ſedare velis. miti ſuper omnia cœlo
Pectora ſacrabis, ſuperosq; iuuamina poſcas.
Nil equidem humanis eſt fidere viribus. iſta
Iam pridem multos inſania ſtrauit: Olympo
Succeſſus venit, ac claros dant aſtra Triumphos.

Hæc mihi de tota ſurgentis mole Carinæ,
Deq; omni rerum ſtructura, operumq; labore
Naualiq; manu: tum quos pangantur in vſus
Veliuolæq; rates, ſubigantq; per æquora curſus:
Dicta ſient. Animum victuris Phœbe Camænis
Da pater, ac noſtris Genium ſudoribus adde.
Cumq; acies inter medias, & plurima belli
Funera verſemur: claſſemq; excedere portu
Numina dextra ſinant: voto comitabor euntes
In ſua lucra viros. Dij lætos pace reducant,
Aut pacis ſaltem pariat victoria cauſas:
Sic fari iuſtum, ſic claudere carmina fas ſit.
Me verò claros inter ſi fama Poëtas
Aſſerat, ac aliqua ſtatuat mihi nomina laude
Qua viuam, & ſacris ſim pars non dura Camœnis:
Hos equidem Superis referam cumulatus honores:
Adſcribamq; Deo quæ ſunt ampliſſima. fauſtis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Vade auibus Liber & noſtrum fer nomen in orbem,
Venturóſq; inter ſis æmula cura Nepotes.
Conſiſtaſq; etiam fato: manibuſq; terare
Doctorum, & facili rata ſit ſua Cratia Muſæ.

FINIS.

Nota, Fol. 200. verſ. 15. pro Barbarigũ, lege Barbadicum. Quod ex recẽs edita hac de re à doctiſsimo Iohan. Contareno hiſtoria, obſeruatũ eſt.

BASILEAE, PER THOMAM GVARINVM. M. D. LXXIII. Menſe Martio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 668 4° copy 1